C. VALERII CATULLI ALBI TIBULLI S. AURELII PROPERTII...

Gaius Valerius Catullus
















Di me Luigi Passerini
di
Firenze
1830



C. VALERII

CATULLI

ALBII TIBULLI

S. AURELII PROPERTII

CARMINA

IN SCHOLARUM PIARUM USUM EXPURGATA

NOTISQUE ILLUSTRATA



Luigi [illegible]
[illegible]

FLORENTIAE

TYPIS CALASANCTIANIS

MDCCCXIX.



DE VITA ET SCRIPTIS

C. VALERII CATULLI

Valerio Catullo Cajus praenomen fuit, quidquid contra sentiat Josephus Scaliger, qui corruptissimi[1] *loci auctoritate nixus Quintum appellat: testaturque se in antiquo libro Jacobi Cujacii J. C. ita diserte scriptum reperisse. Refragantur etenim editiones omnes, quotquot hactenus prodierunt: reclamat consensus eruditorum: L. denique Apulejus mendacii reum agit, cum Apologia priore carminum quorumdam suorum lasciviam et lusus Caii Catulli nobilissimo exemplo tuetur. Cui sanè, ut aetate multo propiori, fides habenda est. Veronensem fuisse liquido constat, cum ex Ovidio, Plinio seniore, Martiali, Ausonio, ceterisque; tum etiam ex ipsius testimonio qui et alicubi*[2] *Veronam suam dicit, et, ubi è Bithynio reversus,*[3] *Sirmionem lacus Benaci peninsulam alloquitur, ad Larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est, si Hieronymus rectè rationem subduxit Olympiadis* CLXXIII. *anno* II., *ab Urbe verò condita* DCLXVII. *L. Cornelio Cinna, Cn. Octavio coss. Quamobrem non immeritò Lilius Gyraldus Crinitum reprehendit, quod scribere non dubitaverit:* pro comperto haberi, Carmen de Passere Lesbiae ad Virgilium missum fuisse, ob illud Martialis:

> Sic forsan tener ausus est Catullus
> Magno mittere passerem Maroni.

---

1 Carm. 66. v. 12.
2 Ibid. v. 54.
3 Carm. 31.

Etenim, ut omittamus forsan, quod argumenti vim omnem infringit, verisimile non fit, Catullum septemdecim annis Marone grandiorem (natus est enim Maro, teste Hieronymo ac Donato, Olympiadis CLXXVII. anno III., ab urbe verò condita DCLXXIV., Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso primum coss.) eidem adhuc puero tantum detulisse, ut ad ejus tribunal accessurus indigeret audacia.

Parentem habuit Valerium, honesti ordinis virum, cujus nimirùm hospitio, si Tranquillum audimus, C. Caesar usus fuerit. Rei familiaris autem inopia laboravit, utpote qui sacculum suum aranearum plenum ingenuè fateatur, Furiumque et Aurelium inter principes amicorum observaverit: quorum alteri nec servus, nec arca, nec cimex erat; alterum esuritionum patrem ipse festive appellat. Quumque divitum Romanorum familia maxima esset, neminem habuit Catullus,

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Lucellum itaque aliunde corrasurus, Memmium praetorem in Bithyniam simul cum fratre secutus est, nullo tamen successu; idque praetoris ejusdem nimia cupiditate, atque oscitantia. Immò cum in provinciam Troadem venisset, fratrem suum, quem aeque ac se ipsum diligebat, immatura morte praereptum amisit. Hujus postea cineribus, ex Asia in Italiam revertens moestissimè parentavit; ejusque memoriam, ubicumque se obtulit occasio, mira pietate semper coluit. Navigatione absoluta, phaselum, quo mare transmiserat, Castori et Polluci, habitis eo tempore navium servatoribus, illustri carmine dedicavit. Postquam ex ephoebis excessit, in castris Amoris ardores suos mollissimis versibus complexus, eo scribendi genere non minorem assecutus est gloriam, quàm immortali verèque divino Aeneidos poemate vates Mantuanus. Amici ejus plurimi enumerantur: Cornelius Nepos, cui libellum suum dono dedit, Verannius et Fabullus; Furius et Aurelius; Licinius Calvus Orator vehemen[illegible]t nobilis poeta, quem prisci scriptores ferè semp[illegible]atullo adjungunt; Alphenus Varus J. C. Caecilius, qu[illegible] matre Deorum poema composuit; Manlius Torquatus, cujus nuptias elegantissima Ode celebravit, et ad quem est epistola illa, quam tanti Muretus facit; Cinna

Smirnae auctor ; Cornificius , fortasse ille , cujus esse ad Herennium Rhetoricorum libros quatuor eruditi homines voluere ; Hortalus ; Cato non ille Uticensis , morum severitate insignis , at litterator quidam , cujus meminit Svetonius libro de illustribus Grammaticis c. XI. *denique Coelius Veronensis . M. Tullium Ciceronem in causa forensi (quaenam ea fuerit , ignoratur) videtur patronum adhibuisse , cui certè ob acceptum beneficium venusto Epigrammate gratias egit . Jambicis , et Hendecasyllabis versibus in pessimos quosque homines , nullo discrimine, grassatus est , nec ipsi Caesari , quantumvis rerum potito , pepercit , quin calami aciem in sinistram ejus* liberalitatem , *aliaque vitia destringeret. Mamurram , Gellium , Vatinium , quos impensè oderat , propriis nominibus indigitavit , et styli amaritudine traduxit . Lusit insuper in Volusium , ineptum (ut ipse quidem existimabat) Annalium scriptorem : in rivalem Egnatium : in Suffenum , quem cum Caesiis , et Aquinis litteratum venenis uno et eodem jure censet : demum in Sextium oratorem , cujus frigidissima oratione molestam gravedinem se contraxisse jocosè scribit .*

Graecis litteris non vulgariter imbutum fuisse inde colligi potest , quod suavissimam Oden Poetriae Sapphus , et Callimachi Elegiam de Coma Berenices mundissimis versiculis Latinè reddiderit : ob id fortè à Tibullo , Ovidio , Martiali doctus *appellatus . Et idcircò mirum videri debet , Julium Scaligerum ea virum eruditione , quodque caput rei est , Veronensem , ideoque municipi suo saltem hoc nomine devinctum , haec de Catullo posteris reliquisse :* (Poetices l. 6. c. 7.) Catullo docti nomen quare sit ab antiquis attributum , neque apud alios comperi , neque dum in mentem venit mihi ; nihil enim non vulgare est in ejus libris . *Quamquam veluti mutato consilio , qui mos est homini , Palinodiam canere postea cogatur ,* Galljambicum *ejus* carmen divinum *autumans , et poema de nuptiis Pelei , ac Thetidos ,* verum aditum , et gradum ad Aeneidos divinitatem *esse pronuntians . Nonne probatius de* nugis *Poetae nostri Cornelius Nepos gravissimus vir judicium tulerat , cum* [illegible] esse aliquid putabat? *Nonne benigniùs , et justiùs cum ipso egere Pompejus Saturninus , et Sentius Augurinus , quorum uterque , auctore Plinio in epistolis , Catulliani carminis imitationem gloriae sibi fore*

augurabentur? Sed haec aliàs: nunc id, quod coepimus, agamus. Censet Angelus Politianus Miscellaneorum centuria I. *c.* 6. *passerem, quem tantoperè Catullus commendat, allegoricè accipiendum, ut scilicet obscoenum aliquid sub se contineat, confirmatque Martialis versibus ex libro* XI. *Epig.* VII. *at nullo prorsùs argumento id evincit, cum ea, quae Catullus narrat de suo passere, ut rectè Critici monuerunt, nonnisi de avicula commodè intelligi possint. Satius igitur fuerit existimare, Martialem ipsum ad nequitiam torsisse, id quod sensu simplici Veronensis noster effuderat; quo pacto ex castissimis Virgilii versibus Ausonius Fescenninum centonem consarcinavit. Quintilianus, et Diomedes inter poetas Jambicos Catullum reponunt: Hieronymus inter Lyricos: reliqui inter Epigrammatographos. Ego verò, si modò fas est meam sententiam aperire, inter Varios potiùs referrem, nam certè in ejus poematiis quaedam excedunt Epigrammatis modum. Ambigitur jure à nonnullis, ac haec solùm paucula, quae hodie exstant, ab illo scripta fuerint, an vero longè plura, quae vetustas nobis inviderit. Ansam dubitandi praebet Plinius, qui de incantamentis opusculum à Catullo exaratum innuit, cujus ne vestigium quidem superest. Nisi Raphaeli Eglino Tigurino auscultare velimus, qui Ceirim* 1 *Virgilio abjudicans, Catullo attribuit propter styli similitudinem. Decessit annos aliquot natus supra quadraginta, ut adversus Eusebii Chronicon ostendo ad ejus Carmen,* LII. *et* CXI.

1 In epist. ad Goldastum, praefixa selectis Catulli operibus.

LECTORI BENEVOLO

Quod Ovidianam illam scribendi effusam facilitatem in instituenda ad literas humaniores juventute praeberent tantummodo Praeceptores omnes, ea se ratione, optima quidem et laudanda, praepeditos et excusatos dictitabant, Catullum *nempe,* Tibullum *et* Propertium *minime pueris committendos, ne lesae verecundiae crimine, Floralibus ludis denudatis atque actis, accusarentur. Ut huic incommodo in nostrorum Auditorum gratiam provideremus, castissima Catulli, Tibulli et Propertii carmina, obscoenis omnibus et subturpiculis jocis remotis, nunc tandem in lucem prolata nostrae tyronum turbae ad altioria lotini sermonis studia, et leporum omnium latices properanti, commendamus. Ob-*

servationes ac notas, quas cuique Poetæ, parca eruditionis ope, adjecimus, partim nostro penu exaravimus, partim ex aliorum Commentariis nempe Ant. Mureti, Jos. Scaligeri, Joan. Passeratii et nonnullorum recentium ac præsertim Joannis Ant. Vulpii, desumpsimus. Nihil sane optimis viris scire erit necessarium, ex quo fonte sint hausta quae peropportuna juvenibus erudiendis judicabuntur. Quam si utilitatem obtinuimus, vel nos aliquid publicis commodis impertitos fuisse gaudebimus. Vale.

C. VALERII CATULLI

VERONENSIS

AD CORNELIUM NEPOTEM

LIBER.

I.

Omnia sua carmina unico libello conclusa Cornelio Nepoti nuncupat.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Jam tum quum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Juppiter! et laboriosis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli et
Qualecumque: quod, o Patroa Virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

II.

Passeris obitum lamentatur praecipue ob moerorem Lesbiae.

Lugete o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! o miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

III.

Phaselum, quo ex Ponto et Bithynia Sirmionem revectus est, laudibus ornat, dicatque Polluci et Castori.

Phaselus ille quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,

Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Hadriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum:
Ubi istę post phaselus antea fuit
Comata silva. nam Cytorio in jugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse, et esse cognitissima
Ait phaselus. ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:
Tuo imbuisse palmulas in aequore;
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse, laeva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem.
Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi esse facta, quum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

IV.

Verannio intimo suo ex Hispania reduci.

Veranne, omnibus e meis amicis
Antistans, mihi millibus trecentis:

Venistine domum ad tuos penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti? o mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus: applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O, quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est, beatiusve?

V.

Asinium Marrucinium minis urget ad furti restitutionem.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res, et inveousta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit; est enim leporum
Disertus puer, et facetiarum.
Quare aut bendecasyllabos trecentos
Exspecta, aut mihi linteum remitte:
Quod me non movet aestimatione;
Verum est mnemosinon mei sodalis.
Nam sndaria Saetabe ex Hibera
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Verannius: haec amem necesse est
Ut Veranniolum meum, et Fabullum.

VI.

Fabullum lepide ad coenam invitat.

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Coenam, non sine . . . .
Et vino, et sale, et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
Coenabis bene; nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius, elegantiusve est.
Nam unguentum dabo, quod . . . .
Donarnut Veneres, Cupidinesque:
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

VII.

In pessima poetarum carmina sibi a Licinio Calvo dono missa.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Ut me tot male perderes poetis?
Isti Dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum, ac repertum

Munus dat tibi Sulla litterator,
Non est mi male, sed bene, ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Dii magni, horribilem, et sacrum libellum!
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret
Saturnalibus, optimo dierum.
Non non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc unde malum pedem tulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

VIII.

Dedicat lucum Priapo.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape:
Nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

IX.

Priapus ad fures.

Hunc ego, juvenes, locum, villulamque palustrem,

Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi
Nutrio; magis, et magis ut beata quotannis.
Hujus nam domini colunt me, Deumque salutant
Pauperis tuguri pater, filiusque coloni:
Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque a meo sit remota sacello:
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitù, et tenera virens spica mollis arista:
Luteae violae mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitae, et suaveolentia mala,
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) arata
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella;
Pro queis omnia honoribus haec necesse Priapo
Praestare, et domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus.
Inde sumite: semita haec deinde vos feret ipsa.

X.

In Suffenum poetam pessimum et sibi valde placentem.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax, et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata: chartae regiae, novi libri,

Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec quum legas, tum bellus ille, et urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poemata attigit: neque idem unquam
Aeque est beatus, ac poema quum scribit.
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur: neq. est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error:
Sed non videmus, manticae quod in tergo est.

XI.

Optimam valetudinem et securitatem ex inopia sequi praedicat ad Furium irridendum.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum; bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, et frigore, et esuritione.
Quare non tibi sit bene, ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Muccusque et mala pituita nasi.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quae soles precari
Centum, desine; nam sat es beatus.

XII.

Respondet Furio villam suam non vento esse oppositam, sed pignori.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec saevi Boreae, aut Apeliotae;
Verum ad millia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem, atque pestilentem!

XIII.

Poscit calices vini meraci et veteris.

Minister vetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Posthumiae jubet magistrae,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphae,
Vini pernicies, et ad severos

Migrate: hic merus est Thyonianus.

XIV.

Dolet adversam fortunam amicorum et suam in Praetoribus comitandis.

Pisonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, et expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle:
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa, frigoraque, et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Praetorem, refero datum lucello.
At vobis mala multa dii, deaeque
Dent, opprobria Romuli, Remique.

XV.

Alphenum Varum Jurisconsultum sibi amicum et proditorem causae suae, Catullus objurgat.

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus:
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi.
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent,
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Heu heu, quid faciant, dic, homines, quoive habeant fidem?

Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tota omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaq.
Ventos irrita ferre et nebulas aerias sinis.
Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides,
Quae te ut poeniteat postmodo facti, faciet, tui.

XVI.

Sirmionem peninsulam suam, cujus erat Dominus, e Bithynia redux salutat.

Peninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque laetus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis,
Quum meos onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto?
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude.
Gaudete vosque, Lydiae lacus undae:
Ridete, quicquid est domi cachinnorum.

XVII.

In Dianam Cantiuncula.

Dianae sumus in fide,

Pnellae, et pneri integri:
Dianam, pueri integri,
Puellaeque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam;
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, et notho es
Dicta lumine Luna.
Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples,
Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, nt solita es, bona
Sospites ope gentem.

XVIII.

Ad Caecilium poetam et amicum, ut Veronam se conferat.

Poetae tenero, meo sodali,
Velim Caecilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens

Comi moenia, Larinmque litus.
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit.

XIX.

Querelae Vatis ad Cornificium, quod nihil sibi carminis scripserit in morte fratris.

Male est, Cornifici, tuo Catullo:
Male est mehercule, et laboriose:
Magisque, et magis in dies et horas
Irascor tibi. sic meos amores?
Quem tu, quod minimum, facillimumque est,
Qua solatus es adlocutione?
Paullum quidlibet adlocutionis,
Moestius lacrimis Simonideis.

XX.

In Egnatium ubique ridentem ut albos dentes ostentaret.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: si ad rei ventum est
Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: si pii ad rogum filî
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille: quicqnid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.

Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si Urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes,
Tamen renidere usquequaque te nollem.
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam.
Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

XXI.

In suam ex Bithynia in Asiam profectionem.

Jam ver egelidos refert tepores,
Jam coeli furor aequinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicaeaeque ager uber aestuosae.
Ad claras Asiae volemus urbes.
Jam meos praetrepidans avet vagari,
Jam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos,
Diversos variae viae reportant.

XXII.

Marco Tullio ob accepta beneficia.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta:
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

XXIII.

Amoris et existimationis sensa in Licinium Calvum poetam.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse: delicatos
Scribens versiculos uterque nostrûm,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo jacebant,

Hoc, jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis: precesque nostras
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.
Est vehemens Dea; laedere hanc caveto.

XXIV.

In Nonium et Vatinium.

Quid est, Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per Consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quod moraris emori?

XXV.

Jocosum cujusdam effatum de Calvo pusillo homuncione, et maximo Oratore.

Risi nescio quem modo in corona,
Qui, quum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait haec, manusque tollens:
Dii magni, salapusium disertum!

XXVI.

Ad Camerium, quem diu quaesitum nuspiam invenerat.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sint tuae tenebrae.
Te campo quaesivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Jovis sacrato,
In Magni simul ambulatione.
Sed te jam ferre Herculei labos est;
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis, ubi sis futurus; ede hoc
Audacter, committe, crede luci.
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes.
Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveae, citaeque bigae:
Adde huc plumipedes, volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quaeritando.

XXVII.

Manlio amico suo Juliam Aurunculejam uxorem ducente Carmen nuptiale.

Collis o Heliconii
Cultor, Uraniae genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
O Hymen Hymenaee:
  Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape. laetus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.
  Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam.
  Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
  Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades Deae
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
  Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Thespiae

Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe.
Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integrae
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee.
Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Coelitum? o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee.
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at potest,
Te volente. quis huic Deo
Compararier ausit?
Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides.
Terra finibus: at queat,
Te volente. quis huic Deo
Compararier ausit?
Claustra pandite januae.
Virgo adest: viden' ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,

Prodeas, nova nupta.
Tardet ingenuus pudor:
Quae tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Flere desine, non tibi,
Aurunculeja, periculum est
Ne qua femioa pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hiacynthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta sis:
(Jam videtur) et audias
Nostra verba (viden'? faces
Aureas quatiunt comas)
Prodeas, nova nupta.
Tollite, o pueri, faces:
Flammeum videor venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Usque dum tremnlnm movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annnit.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Transfer omine cum bono

Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
  Torquatus volo parvulus
Matris e gremio suae
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.
  Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.
  Talis illius a bona
Matre laus genus approbet.
Qualis unica ab optima
Matre Thelemaco manet
Fama Penelopeo.
  Claudite ostia virgines:
Lusimus satis. at boni
Conjuges, bene vivite.

XXVIII.

Carmen nuptiale alterna canentibus pueris, qui matrimonii commoda extollunt, et puellis, quae Virginitati faventes nuptias deprimunt.

JUVENES

Vesper adest, juvenes consurgite. vesper Olympo

Expectata diù vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PUELLAE

Cernitis, innuptae, juvenes? Consurgite contra,
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
Sic certè. viden' ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere. canent quod visere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

JUVENES

Non facilis nobis, aequales, palma parata est.
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirant.
Non frustra meditantur; habent memorabile
  quod sit.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere jam incipient, jam respondere decebit:
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PUELLAE

Hespere, qui coelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

JUVENES

Hespere, qui coelo lucet jucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma:
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius, quam se tuus extulit ardor?
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PUELLAE

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam.
Nempe tuo adventu vigilat custodia semper
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

JUVENES

Ut lubet innuptis ficto te carpere questu!
Quid tum, si carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PUELLAE

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multae optavere puellae;
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,

Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo dum intacta manet, dum cara suis est.
Quum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

JUVENES

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo,
Numquam se extollit, numquam mitem educat
uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolae, nulli accoluere juvenci:
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolae, multi accoluere juvenci:
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta se-
nescit;
Quum par connubium maturo tempore adepta
est,
Cara viro magis, et minus est invisa parenti.
Et tu ne pugna cum tali conjuge, virgo.
Non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est. ex parte parentum
est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

XXIX.

De nuptiis Pelei et Thetidos.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus, et fines Aeetaeos:
Quum lecti juvenes Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem:
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis;
Diva quibus retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor,
Tortaque remigio spumis incanuit unda,
Emersere feri candenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes:
Illaque haudque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit Hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes salvete, deûm genus, o bona mater:
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo, eximie taedis felicibus auctae,
Thessaliae culumen Peleu, quoi Juppiter ipse,
Ipse suos divûm genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?

Tène suam Thetys concessit ducere neptem?
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quae simul optatae finito tempore luces
Ut venere, domum conventu tota frequentat
Thessalia. Oppletur laetanti regia coetu.
Dona ferunt: prae se declarant gaudia voltu.
Deseritur Scyros, linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos, ac moenia Larissaea.
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla juvencis.
Non humilis curvis purgatur vinea rastris;
Non glebam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensae.
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.
Haec vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam, se se quae visit visere credit,
Utpote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosae linquens promissa procellae.
Quem procul ex alga moestis Minois ocellis,

Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, evoe,
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas:
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitrae, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas.
Illa tempestate ferox et tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piraei
Attigit injusti regis Gortynia templa.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeonaeae poenas exsolvere caedis,
Electos juvenes, simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis angusta malis quum moenia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potiùs, quàm talia Cretam
Funera Cecropiae ne funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves expirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotae progignunt flumina myrtus,
Auraeve distinctos educit verna colores;

Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu misere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondosam,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem?
Quantos illa tulit languenti corde timores?
Quantum saepe magis fulgore expalluit auri!
Quum saevum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut insummo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:
Sic domito saevum prostravit corpore Theseus,
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia voltum,

Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
Quae misera gnati misero deperdita leto,
Omnibus his Thesei dulcem praeferret amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae?
Aut ut eam tristi devictam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjux?
Saepe illam, perhibent, ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces.
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus,
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae:
Atque haec extremis moestam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:
Sicćine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens neglecto numine divûm
Immemor ah devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto?
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miserae sperare jubebas:
Sed connubia laeta, sed optatos hymenaeos.
Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Queis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simul ac cupidae mentis satiata libido est,

Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Praeda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis,
Attamen in vostras potuisti ducere sedes,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris
Externata malo, quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnossia Cecropiae tetigissent litora puppes:
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?

Idomeniosne petam montes? ah gurgite lato
Discernens Ponti truculentum ubi dividit aequor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui
Respersum juvenem fraterna caede secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore?
Quine fugit lentos incurvaos gurgite remos?
Praeterea nullo (litus solum) insula tecto:
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam justam a divis exposcam prodita multam,
Coelestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare, facta virûm multantes vindice poena
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons exspirantis praeportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego, vae miserae, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam verae nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deae, funestet seque suosque.
Has postquam moesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis:
Annuit invicto coelestûm numine rector,
Quo tnac et tellus, atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque micantia sidera mondus.
Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,

Quae mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec moesto sustollens signa parenti,
Sospitem Erechthëum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi quum moenia divae
Linquentem gnatum, ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
Gnate mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremae nuper mihi fine senectae,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso pulvere foedans;
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostraeque incendia mentis,
Carbasus obscura dicet ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus, ac sedes defendere Erechthei
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Haec vigeant mandata, nec ulla obliteret aetas:
Ut simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antemnae deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes:
Quamprimum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, quum te reducem aetas prospera sistet.

Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus:
Quum primum inflati conspexit lintea veli,
Praecipitem se se scopulorum e vertice jecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte, ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quae tamen adspectans cedentem moesta carinam
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis,
Te quaereas, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divolso raptabant membra juvenco;
Pars se se tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia quae frustra cupiunt audire profani.
Plangebant aliae proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant,
Multi raucisonos efflebant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes

Expleta est, sanctis coepit decedere divis.
Ac quali flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub lumina Solis:
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leni et resonant plangore cachinni:
Post vento crescente magis magis increbrescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se qnisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, qnos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi foecunda Favoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Peneos adest. viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt superimpendentes,
Xyniasi et linquens Doris celebranda choreis
Boebiados. Namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine laetanti platano, fletaque sorore
Flammati Phaetontis, et aëria cupressu:
Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae:
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus praeruptis.
Inde pater divûm sancta cum conjuge, natis

Advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri.
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis taedas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Largae multiplici constructae sunt dape mensae.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora.
Ambrosio niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.
Laeva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deduçens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hae tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.
O decus eximium magnis virtutibus augeos,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato:
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores
Veridicum oraclum, serves quae fata sequuntur.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Hesperus: adveniet fausto cum sidere con---

Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulosque paret tecum conjungere somnos,
Laevia substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
(Nulla domus tales umquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit foedere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.)
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus;
Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flammea praevortet celeris vestigia cervae.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Quum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi,
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum in cinerem canos solvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Namque velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva;
Trojugenûm infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quojus iter caesis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permista flumina caede.

Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Denique testis erit morti quoque reddita praeda:
Quum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsae virginis artus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis
Urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla:
Alta Polyxenia madefient caede sepulcra.
Quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Projiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Quare agite optatos animi conjungite amores.
Accipiat conjux felici foedere divam,
Dedatur cupido jamdudum sponsa marito.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis moesta puellae
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Talia praefantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum, et se se mortali ostendere coetu
Caelicolae nondum spreta pietate, solebant.
Saepe pater divûm templo in fulgente revisens,
Annua quum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thiadas effusis evantes crinibus egit:
Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes

Acciperent laeti divûm fumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfûdere manus fraterno sanguine fratres:
Destitit extinctos natus lugere parentes:
Optavit genitor primaevi funera nati,
Liber ut innuptae poteretur flore novercae:
Ignaro mater substernens se impia nato
Impia non verita est divos scelerare parentes:
Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Justificam nobis mentem avertère deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

XXX.

Excusat se Hortalo, quod elegiam de Coma Berenicis, quam de Callimacho verterat, non antea miserit ob fraternae mortis moerorem.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
  Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:
Nec potis est dulces Musarum expromere foetus
  Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
(Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
  Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus
  Ereptum nostris obterit ex oculis.

Alloquar? audieròue umquam tua facta loquentem?
  Numquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
  Semper moesta tua carmina morte canam;
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
  Daulias absumti fata gemens Ityli.)
Sed tamen in tantis moeroribus, Hortale, mitto
  Haec excerpta tibi carmina Battiadae;
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
  Effluxisse meo forte putes animo,
Ut missum sponsi furtivo munere malum
  Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
  Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono praeceps agitur decursu:
  Huic manat tristi conscius ore rubor.

XXXI.

Coma Berenices inter sidera translata.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
  Qui stellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi Solis nitor obscuretur,
  Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans,
  Dulcis amor gyro devocet aerio:
Idem me, ille Conon coelesti in lumine vidit
  E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare: quam multis illa deorum,
  Laevia protendens brachia, pollicita est;

Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo
 Vastatum fines iverat Assyrios,
Dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
 Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
 Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
 Non, ita me divi, vera gemunt, juverint:
Id mea me multis docuit regina querelis,
 Invisente novo proelia torva viro.
Et tu vero orbum luxti deserta cubile,
 Et fratris cari flebile discidium,
Quum penitus moestas exedit cura medullas;
 Ut tibi tunc toto pectore sollicitae
Sensibus e rectis mens excidit! at te ego certe
 Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quod regium adepta es
 Conjugium, quod non fortior ausit alis?
Sed tum moesta virum mittens, quae verba locuta es?
 Jupiter, ut tristi lumina saepe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
 Non longe a caro corpore abesse volunt?
At quae ibi, proh, cunctis pro dulci conjuge divis
 Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset! Is haut in tempore longo
 Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Queis ego pro factis coelesti reddita coetu
 Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
 Invita. adjuro teque, tuumque caput,

Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est quem maximum in oris
Progenies Thiae clara supervehitur:
Quum Medi peperere novum mare: quumque juventus
Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
Jupiter ut Chalybum omne genus pereat!
Et qui principio sub terra quaerere venas
Institit, ac ferri fingere duritiem.
Abjunctae paullo ante comae mea fata sorores
Lugebant, quum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isque per aetherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris casto conlocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canoptis in loca litoribus,
Sidere ibi vario ne solum in lumine coeli,
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae.
Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deûm me
Sidus in antiquis diva novum posuit.
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto justa Lycaonida,
Vertor in occasum tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia divûm,

Luce autem canae Tethyi restituor :
(Pace tua fari haec liceat, Rhamnusia virgo;
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin vere pectoris evoluam)
Non his tam laetor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominae vertice discrucior.
Quicum ego quum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, murrhae millia multa bibi.
Nunc vos, optato quae junxit lumine taeda
Non post unanimis, corpora, conjugibus;
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
Quae jucunda mihi munera libet onyx:
Voster onyx, casto petitis quae jura cubili.
Sed quae se impuro dedit adulterio,
Illius ah! mala dona levis bibat irrita polvis.
Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sic magis, o nuptae, semper concordia vostras,
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens quum sidera, divam
Placabis festis luminibus Venerem;
Sanguinis expertem non siveris esse: tuam me
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur iterent? utinam coma regia fiam!
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

XXXII.

Excusat se Manlio, quod ea quae poscit ille non praestet: luget fratris mortem, et Manlii erga se beneficia praedicat.

Quoo mihi fortuna, casuque oppressus acerbo
 Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
Naufragum ut ejectum spumantibus aequoris undis
 Sublevem, et a mortis limine restituam:
Quem neque sancta Venus molli requiescere somoo
 Oblectat, quum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me qooniam tibi ducis amicum,
 Muneraque et Musarum hioc petis, et Veneris.
Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
 Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe queis merser fortunae fluctibus ipse,
 Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
 Jucundum quum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri
 Quae dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mora
 Abscidit. o misero frater ademte mihi!
Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater.
 Tecum uoa tota est nostra sepulta domus.
Omoia tecum una perierunt gaudia nostra,
 Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quojus ego interitu tota de mente fugavi

Haec studia, atque omnes delicias animi.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod quum ita sit, nolim statuas me mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia facta est:
Ultro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, deae, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis;
Ne fugiens saeclis obliviscentibus aetas
Illius hoc coeca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. vos porro dicite multis
Millibus, et facite haec charta loquatur anus.
Omnibus inque locis celebretur fama sepulti,
Notescatque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
In deserto Auli nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, et in quo me torruerit genere:
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
Moesta neque assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristique imbre madere genae.
Qualis in aërii pellucens vertice montis

Rivis, musco o prosilit e lapide.
Qui quum de prona praeceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Quum gravis exustos aestus hiulcat agros:
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius aspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Se fert illa domum et fulgentem in limine plantam
Innixa arguta constituit solea:
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
Protesilaeam Laodamia domum
Inceptam frustra, nondum quum sanguine sacro
Hostia coelestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro.
Quod scibant Parcae non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
Coeperat ad se se Troja ciere viros:
Troja nefas, commune sepulcrum Asiae, Europaeque,
Troja virûm et virtutum omnium acerba cinis.
Quaemet et id nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater ademte mihi!
Hei misero fratri jucundum lumen ademtum!

Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscoena, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Graeca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gavisus libera sponsa
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius, atque anima
Conjugium. tanto te absorbens vortice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graji Pheneum prope Cyllenaeum
Siccari emulsa pingue palude solum,
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri;
Pluribus ut coeli tereretur janua divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod divûm domitum ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto aetate parenti
Una caput seri nata nepotis alit:
Qui quum, divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas:
Impia derisi gentilis gaudia tollens
Suscitat a cano vulturium capite.

Sed tu olim magnos vicisti sole furores,
Ut semel es flavo conciliata viro.
Hoc tibi, quod potui confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis:
Ne vostrum scabra tangat robigine nomen
Haec atque illa dies, atque alia atque alia.
Huc addent divi quam plurima, quae Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.

XXXIII.

In Amicum suum beneficiorum immemorem

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam taedet, statque magisque magis.
Vae mihi quem nemo gravius, nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

XXXIV.

Ad fratris cineres.

Multas per gentes, et multa per aequora vectus
Adveni has miseras, frater, ad inferias:
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea prisco quae more parentum

Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu.
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

XXXVI.

In Cominium omnibus maledicentem

Si Comini, arbitrio populari cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat;
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data volturio:
Effossos oculos voret atro gurgite corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

XXXVII.

Nova et acriora carmina Gellio minatur.

Saepe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae,
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Telis infesto mi icere, musca, caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem,
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

IN
C. VALERIUM CATULLUM
NOTAE

I.

Pag. 1. *v.* 1. *libellum*) Praeter *Hendecasyllabos*, de quibus Cornelius magnifice sentiebat, scripserat Catullus *Heroica*, *Lyrica et Elegiaca*. Itaque mutilum ad nos opus Catullianum pervenisse minime dubium est.

v. 4. *nugas*) Sic poeta suos versus, *lusus* et *nugas* verecunde nuncupat.

v. 5. *tribus*) Tribus voluminibus, aut potius libro seu libris brevibus et contractis, scripserat Nepos Chronica, quae injuria temporum interciderunt.

v. 9. *Patroa Virgo*) Pallas ex cerebro Jovis genita absque matre, idcirco *patroa* appellata graecae originis vocabulo. *Ex Vulpio haec et alia*.

II.

p. 2. *v.* 1. *lugete*) Ut Catullus passeris obitum, sic Ovidius Psittacum deflevit.

v. 6. *suamque norat*) Ordo est: *et norat ipsam tam bene, quam puella matrem suam*. Norat passer tam bene puellam, quam puella ipsa matrem suam.

v. 10. *ad* pro *apud*) Ita Plautus: Philocrates in libertate est ad patrem.

v. 11. *iter tenebricosum*) Ad Elysios migrare docebant poetae vel umbras avicularum. Sic et Ovidius de morte Psittaci.

v. 16. *O factum male!*) In tristibus rebus ita dicebant. Cic. lib. XV. Ep. I. ad Attic. *O factum male de Alexione!*

III.

v. 32. *ait*) *Ait se fuisse*. Phaselum laudat testimonio locorum quae fuerat praetereectus. Tum ad ejus originem poetice assurgit.

p. 3. *v.* 2. *neque ..... nequisse*) Et potuisse.

v. 5. *negat .... negare*) Asserit id negare non posse.

p.5. v. 5. *Cycladas*) Cyclades insulae maria Aegei circa delum in orbem sitae.

v. 6. *Rhodumve nobilem*) Ob colossum credam Soli dicatum.

ibid. *Thraciam*) Horridam a frigore et ab incolarum immanitate.

v. 7. *Propontida ... Ponticum Sinum*) Propontis mare est inter Hellespontum et Bosphorum Tracium: *Ponticum sinum*, Pontum Eusmi intellige.

v. 9. *Cytorio in jugo*) Cytorus mons Paphlagoniae apud Amastrin urbem, dictus a Cytoro Phryxi filio.

v. 19. *incidisset in pedem*) Utrumque pedem: id est utrumque rudentem, quo dextra laevaque vela aeque, inflante Jovis vento, distendebantur. Hinc ob venti favorem ait causam nullam incidisse ob quam vota diis nuncuparentur Phaselo periculi experte.

v. 22. *limpidum lacum*) Benacum maxime pellucidum. Italice dicitur *Lago di Garda*.

v. 25. *Gemelle Castor*) Phaseli consecratio. Castor et Pollux io Geminorum sidus mutati, putabantur navigantibus maxime propitii.

IV.

v. 28. *millibus trecentis*) Non quod trecentos amicos habeat Catullus, sed quod unum Verannium loco trecentorum habeat.

p.4. v. 4. *Hiberum*) Hiberna fluvius Hispaniae ex quo ad illum accolae Hiberi sunt dicti.

V.

v. 10. *manu sinistra*) Sinistra manus furtis infamis, ad furta nata dicebatur, eamque aliquando Carnifex obtruncabat.

v. 14. *quamvis sordida res*) Nescis, improbe, inepte ad judicandum de malitia tua, quantum sordida et homine indigna res sit furari? *Quamvis* pro *quantum*, *quantumvis*.

v. 15. *Pollioni*) Celeberrimus Asinius Pollio Augusti amicus, et Marrucini malo fato frater.

v. 16. *talento*) Qui magna redimeret pecuniae vi, si fieri posset, decus familiae suae a Te fure conspurcatum.

p.4. v. 18. *puer*) *Puer:* vox blandientis, perinde ac si diceret, est Alumnus leporum: scilicet suavissime facetus.

v. 22. *mnemosinon*) Monumentum, memoriae causa donum.

v. 23. *Saetabe*) Saetabis oppidum Hispaniae optimo lini genere clarissimum.

VI.

p.5. v. 5. *sale*) Facetiis.

v. 8. *aranearum*) Vacuus pecunia ideoque projectus in angulo, in eoque libere araneæ telam texunt. *Sacculus* pro crumena posuit.

v. 9. *meros amores*) Meri amores non semper amatorio sensu, suavia quaeque et gratissima dicebantur, ut hoc loco unguentum.

VII.

v. 17. *Vatiniano*) Odio, quo pessimus ille Vatinius oderat Licinium ipsum Calvum oratorem summum, a quo de ambitu fuerat accusatus: nimirum odio omnino singulari et pertinaci.

p.6. v. 1. *Sulla litterator*) Sulla Grammaticus Calvi cliens. Primo Saturnalium die, qui dies prae ceteris optimus et festus erat, munera ad Patronos mittebantur, et inter cetera aliquando etiam libri melioris notae.

v. 7. *Saturnalibus*) Dies ante XIII. Kal. Januarias apud Romanos maxime festus.

v. 9. *luxerit*) Ubi dies apparere coeperit.

v. 10. *scrinia*) Ad capsulas librariorum, ut ab his omne genus mali carminis emam, quo Te remunerer.

VIII.

v. 16. *Priape*) Hortorum et nemorum Deus.

v. 20. *Hellespontia*) Priapus colebatur etiam in littoribus, navigationis et mercaturae praeses.

ibid. *ostreosior*) Ostreis prae ceteris abundans.

IX.

v. 21. *villulamque*) Domum rusticam juncis et carice tectam, et in palustri solo sitam.

p.7. v. 5. *beata*) Scilicet fieret, esset. Priapus ait se locum illum servare, quod sibi a Domino duplex praestetur honor, alter diurnus oblatis agri primitiis et deterso situ, nocturnus alter non infrequens mactatis victimis.

v. 9. *picta*) Id est multicolor, veluti constans variis floribus.

v. 10. *Primitù*) Pro *primo*.

v. 14. *tacebitis*) Nocturna Priapi sacra omni nefario opere contaminata mystico silentio tegebantur.

v. 18. *abstinete rapinas*) Abstinebitis ne quid auferatis.

X.

v. 25. *palimpsesto*) Membranae genus, quod spongia abstergi poterat, ut alia rursus acriberentur. Indicat Suffenum versus suos maximi fecisse, et omni cum ornatu scripsisse.

p.8. v. 1. *novi umbilici*) Umbilicus in libris erat teres bacillus ex buxo, ebore, aut alia materia confectus, circa quem volvebantur chartae, unde volumen.

v. 4. *caprimulgus*) Unus de caprimulgis et fossoribus: scilicet in pulcherrimo libro legas stulta et vilia carmina.

v. 15. *sed non videmus*) Homines, quum aliena vitia acutissime videant, in suis prorsus caecutiunt, juxta fabulam. Phaedrus:

Peras imposuit Jupiter nobis duas.

XI.

v. 16. *neque arca*) Paupertatis signum erat *non habere arcam*. Et contra *arcam habere* de divitibus dicebatur.

v. 21. *cum conjuge lignea*) Stupida, et macie confecta.

XII.

p.9. v. 13. *Apeliotae*) Scilicet Subsolani. Jocus totius carminis est in vocabulo *opposita*. Nam et oppositus vento latine dici solet, et oppositus pignori vel obnoxius:

Ager oppositus est pignori

Ob decem minas, inquit Terentius

p. 9. v. 14. *ducentos*) Legunt alii *ducenta*. Quodcumque tamen hoc summae sit, notat gravatam fuisse villulam magna solvendae pecuniae vi.

XIII.

v. 16. *puer*) Qui vinum ministrabat appellabatur puer ad *Cyathum*, ad *Cyathos*.

v. 18. *magistrae*) Mulier convivio praefecta quae dictaret bibendi modum. Poscit Vates vinum amarius, scilicet masculum, et vetus. Posthumia illis temporibus fuit mulier bibacissima.

v. 19. *ebriosa acina ebriosioris*) Uvae acinos seu acinas succo turgidas ebrietate superantis.

p. 10. v. 1. *Thyonianus*) Unum e Bacchi nominibus a Thyone ejus nutrice. Vinum vere Bacchicum, Baccho dignum.

XIV.

v. 7. *Ecquidnam in tabulis*) Ecquid in rationibus patet, praeter expensum.
ibid. *lucelli*) Parvi lucrus.

v. 10. *At vobis*) Veranius et Fabullus sequuti fuerant in Hispaniam Pisonem famosum Catilinae socium, et Catullus Memmium, qui praeter cetera furabantur etiam quae ad comites pertinebant.

XV.

v. 16. *nec facta*) *Nec* pro *non*. Nequaquam placent.

p. 11. v. 5. *Fides*) Fides a Romanis ut dea colebatur. Hinc Catullus ad eam tamquam ad Numen provocat.

XVI.

v. 9. *uterque Neptunus*) Scilicet dominus maris et lacuum et utriusque exstantium insularum.

v. 18. *salve*) Mox erat ut qui primum ingrederentur regionem aliquam vel ad eam reverterentur, religiose eam salutarent, idque, quoniam cuique loco suum quemdam genium praeesse arbitrabantur.

v. 19. *ludiae*) Alii Lydiae, ea freti ratione quod ager Veronensis, in quo est lacus Benaci, pertineret ad Rhaetos, qui longa serie a Lydis descendebant. At Scali-

ger emendavit *ludiae*, id est saltatricies vel a motu piscium vel vento suaviter crispante.

p.11.v. 20. *cachinnorum*) Laeto fremitu me excipite. *Cachinnum* et a Catullo, et a Lucretio pro undarum subsultantium plangore usurpatum est.

XVII.

v. 21. *Dianae sumus in fide*) Diana tuetur nos, vigilat nostrae incolumitati.

p.12.v. 7. *deposivit*) Deposuit, peperit.

v. 14. *notho*) Lumine non tuo, sed a sola accepto.

v. 17. *metiens*) Mense caeli spatium peragrans quod sol anno metitur.

v. 21. *Romuli*) Romulus et Ancus Romae reges primus ille, hic quartus.

XVIII.

v. 26. *Novi*) Id est moenia novi Comi. Comum urbs a Gallis condita. Eo Coloniam Scipio deduxit, quàm Pompejus et Julius Caesar auxerunt. Hinc Novocumum vocari coepit. Hodie *Como*.

p.13.v. 1. *Larium*) Ripam lacus Lari.

XIX.

v. 8 *sic meos amores!*) Sic meos amores despicis, amicitiae meae hanc reddis gratiam?

v. 12. *Simonideis*) Simonides in lugubri carmine graecorum Vatum excellentissimus. Poscebat nempe Catullus ab amico elegiam funebrem. Quid erat, inquit, ad me mittere paulum carminis? Data opera et numeros et sensum intercidit Catullus ad vim doloris exprimendam.

XX.

v. 14. *renidet*) Diductis labris, ut dentes exerat, nec enim plane ridentem significat.

p.14.v. 2. *Urbanus*) Romanus in Urbe natus.

v. 3. *Umber*) Inter delicias natus et nutritus.

v. 5. *ut meos*) Verona, Catulli patria, erat in Gallia Transpadana.

XXI.

p.14.v. 15. *aequinoctialis*) Sub aequinoctium vernum venti vehementius flare solent.

v. 19. *ad claras Asiae ... urbes*) Clarae urbes Asiae sunt quatuor illae praecipue, quas propterea a numero quadrigam Asiae vocat Propertius: *Smyrna, Ephesus, Colophon, Miletus*.

XXIII.

p.15.v. 10. *ut convenerat esse*) Ubi condictum fuerat ut alter alterum inveniret. Certamen amicum et jucundum inter Catullum et Licinium, qui vario metro scribendis leporibus vacabant.

p.16.v. 1. *poema*) Idem hic quod epigramma.

v. 5. *Nemesis*) Dea malefactorum ultrix.

XXIV.

v. 8. *sella in curuli*) sella curulis fuit sella eburnea, qua in publico et privato loco sedendi causa utebantur praetores et Consules.

XXV.

v. *ult. salapusium*) Vox est nutricum pueris blandientium, constans a *sale*, et *pusio*. Calvus statura brevissima fuit at vehementissimus in dicendo. Nescio quis tantam ejus eloquentiam, qua Vatinius exagitabat, admirans, eum credidit pusum, seu puellum atque extemplo exclamavit: *Dii magni, salapusium disertum!* Alii aliter.

XXVI.

p.17.v. 1. *si forte*) Saepe hoc carmine Catullus spondaeum pro dactylo in secunda sede ponit ad lassitudinem ex via contractam describendam.

v. 3. *minore*) Intelligit Campum Martium, in quo ludicra fiebant.

v. 4. *libellis*) Tabernis librariis. Legunt alii labellis, quae erant exigua balneae; quemadmodum labrum pro balneo majore dictum.

p.17.v. 6. *Magni*) In porticu Pompeji Magni.
v. 13 *Cretum*) Talus gigas, quem aereo corpore fuisse fabulati sunt veteres. Hic datus est Europae a Jove, ut Cretam insulam tueretur, terque die totam circumiret.
v. 15. *Ladas*) Cursor velocissimus in Olympiacis saepe victor.

XXVII.

p.18.v. 8. *flammeum*) Genus veli crocei, quo sponsae tegebantur.
v. 24. *ludicrum*) Locum exercendis ludis aptum.
p.19 v. 25. *praesides*) Nuptiae absque sacris et civilibus caeremoniis filios privabant aditu ad honores. Praeterea victos populos aliquando Romani spoliabant potestate contrahendi matrimonii justi, scilicet civili lege rati.
p.20.v. 29. *annuit.*) Moto capite instar annuentis.
p.21.v. 1. *limen*) Saltu superans nec tangens limen, aut trans limen lata puerorum manibus. Nam novis nuptis limen pedibus conterere nefas erat ad maleficia vitanda, quae recenti matrimonio obesse possent. Ollae scilicet magicae liminibus supponebantur.

XXVIII.

v. 23. *Vesper adest*) Carmen hoc omnino dramaticon, elegantiae et artificii plenissimum. Innupti juvenes aequales, sponsi, post solemne convivium, sposo in triclinari toru relicto, ibique sponsam expectanti obviam procedunt, virginibus sponsam ducentibus et comitantibus. Fit canendi certamen. Unus juvenum puellas advenientes intuens, carmen incipit socios allocutus.
ibid. *consurgite*) Lucet jam in occidente Hesperus, jam tempus surgendi e convivio.
p.22.v. 5. *innuptae*) Innuptae, cernitis adolescentes innuptos? Eja procedite.
v. 6. *Oetaeos*) Hesperus noctis nuntius qui in Œta monte colitur jam fulget.
v. 8. *canent*) Canent visu et spectatu digna, canent cum artificio, cavete ne nos vincant laude carminis.
v. 11. *aspicite*) Aspicite, inquiunt adolescentes, ut puellae accedant meditantes quid dicant, habebunt ali-

quid pensiculati, quod nobis curae sit in certamine. At nos mente debemus cogitare quid sit respondendum, et interea oportet nos audire quid puellae dicant.

p.22.v. 19. *Hespere*) Invehuntur in Stellam Hesperum, a qua coeptus tenor carminis, et ajunt eo adveniente puellas viris tradi. Nihil esse crudelius. Versus porro *Hymen etc.* est intercalaris: a choro canitur, non ab actoribus.

p.23.v. 11. *Hespere*) Hespere es furum et amantium custos. Tu cum mutatis mentibus mane exis et es Phosphorus, eosdem vides nocturnas excubias agere.

v. 12. *ficto te carpere questu!*) Questu ad pompam composito. Nam puellae prope omnes castas nuptias appetunt.

p.24.v. 2. *dum*) *Dum* primo loco significat *quoad*, secundo loco *usque eo*.

v. 14. *sic virgo dum etc.*) Quanto tempore intacta manet, tanto inculta senescit.

v. 20. *non aequum est pugnare*...) Virginitas puellarum ab heroicis usque temporibus in parentum potestate semper fuit, ideoque patre et matre sponsam viro tradentibus duae virginitatis partes in viri jus translatae dici poterant.

XXIX.

p.26.v. 1. *Peliaco*) Perinsigne hoc Epithalamium satis esset unum ad aeternandam Catulli famam. Argumentum sunt nuptiae Pelei et Thetidos. Ut qua occasione Peleus et Thetis sibi invicem placuerint narret, incipit carmen a profectione Argonautarum a Thessalia in Colchidem, quod inter Argonautas esset Peleus (ex Catulli sententia) ideoque vidisset Thetin inter marinas Deas, quae ex pelago ad navem spectandam emerserant. Tum transit ad diem nuptialem multo post tempore adventantem, et describit totius Thessaliae finitimorumque locorum conventus, laetitiam, et festa ob tale connubium. Narrationem abrumpit descripto pulvinari Thetidos, et ostendit aliqua ex iis quae in pulvinari acu picta erant. Ariadnam a Theseo relictam inter has picturas praecipue memorat, ut nuptiis felicibus et fidis Thetidos ac Pelei opponat quasi tabulam infelicis connubii, et infidi sponsi; itaque et delectet, et doceat. At negari nequit eum

nimium indulsisse genio, quod locis suis animadvertemus. Demum adventum deorum ad has nuptias describit, Parcarum vaticiuia, Achillis nascituri gloriam, et fata; concluditque exaggerans priscorum temporum felicitatem, quibus dii versabantur in terris, et posterorum malitiam suggillans.

p.25.v. 7. *abiegnis*) Remis ex abiete factis.

v. 8. *Diva*) Minerva arces custodiens.

v. 14. *vultus*) Vultus Nereidum admiratione correpti ideoque contracta fronte et fera.

v. 23. *mater*) Mater Heroum Tellus Thessala.

v. *ult. Thetis*) Neptis Oceani, quem Neptunum hoc loco vocat auctor.

p.26.v. 1. *Thetys*) Tethys est vetus illa Oceani conjux. Thetis, de qua Catullus, Filis Doridis ex Tethyde natae.

v. 3. *finito tempore*) Transit ab occasione nuptiarum contrahendarum ad ipsarum tempus et diem.

v. 9. *Pharsaliam coeunt...*) Populorum festa, et cessationem a laboribus ob has nuptias describit.

v. 21. *conchyli*) Succus Conchyliorum proprie ostrum appellabatur, eoque pretiosae vestes tingebantur.

v. 22. *Haec vestis priscis hominum ....*) Capta occasione a pulvinari divae, et Heroum virtutibus in illo expressis, Ariadnae casum describit, qui ad nuptias spectat, ideoque cohaeret cum argumento: nam Peleo factum hoc inspicienti documento esse poterat, ut sibi caveret ab imitatione Thesei. Porro *Heroum virtutes*, idem est ac Heroas, facta Heroum; neque enim virtutis nomine semper designantur facta honesta et proba.

p.27.v. 7. *alludebant*) Alludere poetice etiam ab Ovidio usurpatur pro alluere, quod est fluminis ac maris ad ripas litusve accedentis et inde recedentis.

v. 14. *Illa tempestate ferox ...*) Hactenus picturam descripsit, nunc pulcherrima digressione tamquam alio mente raptus et quasi pulvinaris et nuptiarum immemor transit ad argumentum picturae, narratque Thesei ad Minois Regiam adventum, Minoa injustum vocans ratione Atheniensium habita. Tum causam describit hujus adventus, itaque narratione retrograda, et rursus deinde in rectum versa *Episodium* nimis fortasse in lungum productum, at omnino epicum cormini interserit. Redit ad picturam et pulvinar

p. 33. v. 15. ubi Bacchum Ariadnae infelici occurrentem describit, ne picturae, quid desit, et ne altera, Bacchi amore suo Ariadnam compensantis, pictura omissa in luctuosam effigiem desinat pulvinaris descriptio. Demum magnifice nuptiale carmen prosequitur et absolvit.

p.27.v. 24. *ne funera*) *Ne fimera*, nondum funera. Qui scilicet lugerentur pro mortuis ab Atheniensibus, dum adhuc viverent. Fabula Thesei satis nota est, ut nobis hoc loco ponendą sit.

p.32 v.2. *signa*) Lintea alba, quae seni essent victoriae signum.

v. 22. *Itoni*) Minerva, quae in Itone Thessaliae oppido colebatur.

p.33.v. 24. *Orgia*) Orgia erant praecipue sacra et mysteria Bacchi, quorum simulacra cistis clausa portabantur.

v. 27. *efflebant cornua bombos*) Cornua efflebant bombos, edebant bombos stridulos et multiraucisonos. Nibil mirum si poetae picturis addunt, quae ob picturarum exquisitum artificium non modo cerni sed audiri videntur.

p.34.v. 1. *decedere*) Abeunt homines a Regia Pelei cedantque locum diis. Quanta pompae varietas!

v. 19. *Peneos*) Locus mire vexatus. Ita non pessime explicatur. Adest Peneus et Doris, quae reliquit Nymphis suis *Xyniadibus Boebiados* Tempe viridantia ut illic celebrent interea choreas. Xyniades porro erant Nymphae paludis Boebeae seu Boebeidis, seu *Boebiados*. *Xyniasi* dat. plur. graece. At locum adhuc corruptum puto; nam abhorrent haec implexa a carminis hujus perpetuo nitore.

p.35.v. 2. *Unigenamque*) Apollo adfuisse dicitur, eo quod defensurus esset Trojanos ab Achille postea graviter plectendos; ideoque etiam Diana adfuisse narratur fratri obsequens. Diana cultrix montibus Idri. Scilicet venatum exercens in montibus Idri, qui montes Cariae sunt.

v. 9. *quercus*) Vel quercus rami et folia, utpote fatidica, qui rami ad pedes limbo Tyrio purpureo nectebantur in orbem, vel vestis picta quercus imagine, cui nempe impressa quercus; quod magis arridet.

p.35.v. 12. *Ambrosio*) Immortali; nam id graece sonat *Ambrosius*.

v. 19. *laneaque . . . morsa*) Lanae villi morsu decerpti. *Aridulis*: saliva defectis. *Labellis*: nam admordendo lanam os contrahebant.

v. 25. *perfidiae*) Scilicet mendacii, vaticinii falsi.

p.36.v. 18. *tertius heres*) Nam Pelops regnum reliquit Atreo, Atreus Thyestae fratri, Thyestes Agamemnoni Fratris filio.

v. 23. *variabunt*) Tundent, et livore senilia pectora variabunt.

p.37.v. 17. *filo*) Monili quo usa fuerat. Idque oh tumorem venarum colli.

v. 20 *secubitu*) Nec mater anxia ob secubitum puellae a viro suo, sive ob divortium tori desinet sperare se visuram nepotes. Erunt nempe Peleus, et Thetis semper concordes.

p.38.v. 1. *acciperent . . . aris*) Epulas divis apud illos hospitantibus in aris ponerent.

v. 17. *patiuntur*) Patiuntur se clara in luce videri.

XXX.

v. 18. *Etsi me assiduo . . .*) Ait se quamquam fratris morte consternatum, tamen ad Hortalum mittere Battiadae idest Callimachi elegiam ex graeco versam, ne putet Hortalus sibi ex animo promissa excidisse, quemadmodum pomum, quod in amoris pignus acceperat Cydippe ab Acontio, excidit e puellae gremio adveniente ejus matre.

XXXI.

p.39.v. 18. *Omnia qui magni . . .*) Ut elegiam hanc omnibus numeris absolutam, quam Catullus ex graeco Callimichi exemplari, quod fato temporum intercidit, versam dedit, apte evolvamus, pauca praemittenda sunt. Fuit Berenice filia Ptolemaei Philadelphi Aegypti Regis, et Arsinoes, quae inter deas relata est sub nomine Veneris Arsinoes, vel Zephiritidis. Ptolemaeus minor Berenicem sororem suam uxorem duxit. Post diem nuptiarum ad bellum contra Assyrios profectus est. Vovit Berenice se diis praeter victimas oblaturam etiam prolixiorem comae suae partem, eamque abscissam Templo se daturam. Vicit Assyrios Sponsus.

Berenice comam abscidit. Postero die coma furto sublata ex templo est. Doluit Rex de hujusmodi facto, doluere ceteri. Conon Mathematicus, ut huic dolori mederetur, cum animadvertisset stellas quasdam in coelo nullo antea signo clausas, eas in novum coeleste signum compingens *Comam Berenices* appellavit. Quaenam modo hae stellae sit satis notum. Forma porro et quasi structura elegiae est ejusmodi. Inducitur coma loquens. Me, inquit illa, Conon vidit inter coelestia signa, me Caesariem Berenices, quae me votum vovit diis dum Sponsus ad bellum pergeret post nuptialem noctem. Gemuit illa abscessum Sponsi, ergo, falsa sunt lamenta Virginum, quae ante quam nubant coram parentibus lacrimantur. At non erat tibi flenduin, inquit coma, nam forti animo semper fuisti, et hunc Sponsum adepta es animi tui constantia, ideoque non debeas me comam tuam ob intempestivum dolorem ferro devovere. At ita factum est. Quod doleo maxime. Cessi invita ex vertice tuo superata ferro, cui cuncta cedunt; quo excavatus est mons Athos, ut inter hiatus montis Xersis classis infuso mari transiret. At pag. 41. v. 13. coma indicat advenisse Zephirum Aurorae filium, et se rapuisse atque in coelo collocasse inter sidera Leonis et Ursae, se tamen dolere quod absit a vertice dominae, a qua fuerat oleo saepe uncta, non unguentis delibuta; quod erat luxuriosum; postulatque a domina ut memor sui sit, et castarum mulierum tantummodo exposcit dona. Tandem ait nihil opus esse multiplicatione siderum, se malle in caput redire dominae quam sidus esse; etiam si Aquarius, et Orion duo remota signa eaque pluvialia conjungantur, et diluvio terras opprimant, ac totum turbetur coelum. *Fulgeret* est ab antiquo *fulgero*; propterea que idem est ac *fulgeat*, *fulguret*. Hoc fere argumentum est hujus poematis ex *Vulpio*.

p. 39 v. 22. *ut Triviam*) Lunam de coelo descendere, ut Endymionem inviseret, a Callimacho perlepida fictum est.

p. 40. v. 11. *et tu* ...) Alii, *at tu non orbum ..... sed fratris etc.*

v. 19. *ausit alis!*) Alii legunt, *quod non fortior auxet aliis*. Sed nos *non fortior ausit alis!* *Alis* pro *alius*, ut *alid* pro *aliud*.

v. 22. *tristi*) *Tristi* pro *Trivisti* Alii, *Tersti*.

p.41.v. 15. *Ales equus*) Quomodo sit intelligendus *Ales equus*, longa inter doctos questio, quam quisque suo consilio dissolvet.

XXXII.

p.43.v. 1. *Quod mihi fortuna* ...) Elegiae hujus, quae sola quanti fuerit in hoc carminis genere Catullus eximie declarat, tripartitum argumentum est. Respondet Manlio levamen a se poscenti gravissimo in casu. Quae Manlium in fortunia vexarent incertum. Putant aliqui luxisse Manlium mortem Juliae uxoris suae, cujus nuptias Catullus celebraverat; at qui potuisset petere a Catullo Manlius munera Veneris, seu versiculos amatorios aptos ad mitigandam iram puellae tam gravi in funere? Ait ergo Catullus, opem quam per epistolam a se Manlius poposcerat, et spem auxilii quam in amico collocaverat, esse sibi gratissimam ob amicitiae summae significationem; at se nihil ejusmodi praestare posse fraterna morte consternatum. Tum pag. 44. ver. 4. ait se carmina jamdiu composita ad Manlium mittere non posse, quod Veronam secum nonnisi exiguam libellorum copiam tulerit, et prope omnes Romae reliquerit. Deinde pag. 44. ver. 14. beneficia a Manlio in se collata incipit describere; idque ait se facere ut amicum immortalitati commedet, ne araneae telam texant in nomine Auli Manlii ejus statuae subscripto, idest ne oblivioni detur. Mihi enim, inquit, fraudulenta Venus duas puellas amandas obtulit, meque torruit ardore Etnae, et aquae Maliae (aquae hae thermales in sinu Maliaco ardentissimae). Tum pag. 44. ver. 30. lacrimas describit suas sumta similitudine a rivo excurrente per tractus aridos arvorum. Ait postea pag. 45. ver. 8. adfuisse sibi auxilium Manlii tantis in curis, ut procella jactatis adest Castor, et Pollux: dedisse vero sibi Manlium domum in qua cum Puella sua viveret. At se nequaquam fortunatum fuisse quod praesides amorum deos antea non placasset; quemadmodum Laodamia, cujus nota fabula. Haec porro Laodamia Acasti Filia cum Virum suum Protesilaum amiserit Trojano bello, capta rursus occasione Vates ex argumento loci luget mortem Fratris. Revertitur deinde ad Fabulam Laodamiae, et ait illam adeo in profundum doloris barathrum lapsam esse, quale excavavit

prope Cyllenem Herculea Filius Jovi et falso creditus Amphitrionis; qua in fovea aquae paludium exundantes excurrebant. Qui Hercules ob haec mira suaceptus in Coelum Heben duxit in uxorem. At dolor tuus, Loadamia, inquit, et amor tuus fuit major barathro illo, idest labore illo foveae tam ingentis excavandae. Ludit hic porro Catullus in barathri vocabulo. Nam hoc loco intelligit nomine barathri Amorem Herculis pro Eurystheo, qui amor deum hunc sub jugum posuit et tantis laboribus mancipavit. Amor porro Laodamiae eo etiam infelicior, quod, inquit, filia unica nullum alit caput nepotis, scilicet nullum filium, et heredem parenti seni; qui filius heres testamento scriptus fallat spem alterius ad hereditatem anhelantis, et amoveat quasi vulturem cupientem rodere canum caput, scilicet cupientem senis mortem. Post hanc digressionem redit ad amorem Laodamiae, et ait illam ita amasse virum ut columba columbum, et fuisse constantem semper, quamquam feminae ex earum indole sint vagae et facile mutabilis voluntatis. Transit deinde ad puellam suam, et declarat praecipue se nequaquam futurum severum amatorem, instar parentis vetusti et tremuli filiam asservantis. Demum redit ad Manlium, eique fausta omnia adprecatur.

p.43. v. 16. *vestis mihi tradita pura*) Usum togae non unum fuisse, et alium in tenera adolescentium, alium in firmata virorum aetate liquet. Quod honorum pura erat, eorum pro conditione flatus purpura praetexta. *Hinc Lucanus lib. vii. Pura venerabilis atque quam currus ornante toga.* Induebantur toga pura viri, qui pro aetate ad negotia civilia et rerum publicarum administrationes idonei esse existimabantur.

p.44. v. 19. *charta loquatur anus*) Loqui Annales dixit et Macrob. lib. iii. Saturn. *Sed et multus exercitus, oppidaque hostium Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarumque gentium, quas prisci loquuntur Annales.* Et Virg. in Ceiri:

Aeternum Sophiae conjunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina seclis.

Senibus autem *seclis*, ut Catull. alibi cana secula, et Claud. in laud. Serenae, *Antiquos loquitur pagina reges.*

p.45. v. 2. *valle volutus*) Syllabarum concursus in ver-

lis, *valle volutus*, mire cursum aquae defluentis exprimit.

v. 26. *cooperat ad se se*) *Ad*, pro *adversus*, contra.

p.46. *v.* 16. *barathrum*) Hic simpliciter pro *voragine* ponitur, erat autem propriè locus Athenis, in quem scelerati dejiciebantur, ut apud Lacedaemonios in Ceadan. *Muret.* Festus: *Barathrum Graeci adpellant locum praecipitem, unde emergi non possit, dictum ab eo quod est Bαρις*. Unde et Horat. 1. ep. xv. *Barathrum macelli* vocat helluonem, qui vorat quidquid in macello prostat.

v. 17. *Quale ferunt Graji*) Hercules quum ad Stymphalias aves interficiendas, jussu Eurysthei proficiscens, in Thessaliam venisset, paludem quamdam, quae ex collectis Penei aquis efficiebatur, siccavit, quum, separatis Ossa et Olympo montibus, qui antè contigui erant, exitum fluvio dedisset in mare: sicque ejus regionis hominibus campi ad Peneum pinguissimi et feracissimi copiam effecit. Narrat Diodorus lib. v. tangit etiam Lucan. lib. vi.

v. 21. *Stymphalia monstra*) Proditum est Stymphalidas in Arcadia aves fuisse, quae humana carne vescerantur, quas sagittis Hercules confecerit.

v. 22. *imperio deterioris heri*) Eurysthei. Quomodo autem Juno, decepto Jove illud assecuta fuerit, ut fatali necessitate Hercules Eurystheo parere cogeretur, elegantissimè narrat Agamemnon apud Homerum Iliados lib. xix.

v. 24. *Hebe*) Juventutis dea, Junonis filia, diis prandentibus ex aequo omnibus ministrabat.

v. ult. suscitat a cano) De parvo nepote loquitur, qui avo natus in extremo senio, post signatas tabulas, et institutum haeredem aliquem ex gentilibus, qui proximus erat, testamentum rumpit, et frustratur gaudium gentilis, qui spe jam devorsverat haereditatem, et imminebat quasi vulturius capiti senis, mortemque ejus expectabat expectabatque, ut frueretur bonis. At natus nepos, ubi tabulis avi nomen intulit, expuncto gentili, suscitat vulturium et amolitur a capite.

XXXIII.

p.47. *v.* 12. *nihil fecisse*) Pro nihilo est bene fecisse. Sic veteres loquebantur. Plaut. Cistell. *Faciam facis benigne*, et in Capt. *Facis benigne*.

XXXIV.

v. 17. *multas per gentes*) Nam Catulli Frater ad Rhoeteum Troadis promontorium sepultus fuerat.

v. 18. *Inferias*) *Inferiae*, teste Festo, erant sacrificia, quae diis manibus inferebant. Svet. in Calig c. IV. de German. De his intelligenda vetus Inscriptio. IN HOC MONVMENTO ITVS ADITVS AMBITVS LIBERTIS LIBERTABVSQVE MEIS OMNIBVS PATEAT THVS ET VINVM. (sic lacunam explet Brissonius) DATO AD SACRIFICIA FACIENDA QVOTIESCVNQVE OPVS ERIT. Itemque haec alterius Inscriptionis Rom. verba. ET ITUM ADITUM AMBITUM SACRIFICIIQUE FACIUNDI CAUSA. Dictae autem *Inferiae* ab Inferis, ut Servius lib. X. Aen. *Inferiae sunt sacra mortuorum ab Inferis dictae*, vel ab inferendo, quod mortuorum umbris inferantur, ut vult Turneb. lib. IV. c. XXII. Constabant autem haec Sacrificia vel Inferiae Liquoribus praecipue ac Victimis. Inferiae, quae Liquoribus constabant, apud Graecas Gentes erant maxime in usu. Liquores, erant aqua, Lac, Vinum, Sanguis, et Unguentum. *Aquam* Latini *Arferiam* vel *Arferial* dixere teste Fest. Meursius docet *Aquam* hanc, si vir aut femina e vita excessisset, portatam fuisse a mulieribus. Si vero Juvenis quisquam aut virgo, tunc istoc officio puerum genere proximum. De Vino, quo in hisce inferiis usi veteres, Festus vocat *Respersum vinum*, eratque hoc plerumque merum. *Lactis et Sanguinis* meminit Virgil. lib. III. Aeneid. *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte, Sanguinis et sacri pateras*, ubi Serv. *Sanguis* iste sumebatur de animalibus, quae Manibus defunctorum mactari solita. Nec pecudum duntaxat. sed et hu-

mano sanguine Manibus defunctorum veteres solebant parentare.

p.47. v. 19. *postremo ...... munere*) Fuse ac erudite, ut solet omnia Erudit. Kirchmannus lib. III. de Funerib. Rom. c. v. In Hispania Citeriore monumentum ejusmodi extat

C. IVL. FABIAN.
ANN. XIX.
FABIA PAVLA
AMITA
MVNVS
SVPREMVM

p.48. v. 5. *ave atque vale*) Salve et vale compositis solebant inclamare: vel etiam illud *Vale* ter repetere. Servius: *dici mortuis solet, vale, vale, vale.* Idem: *Varro in libris Logistoricis dicit, ideo mortuis salve et vale dici: non quod aut valere aut salvi esse possint: sed quod ab his recedimus eos nusquam visuri. Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum Vale obtineat, ut Terentius: Valeant, qui inter nos discidium volunt, hoc est, ita a nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergo cum mortuo dicitur Vale, non Etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi a quibus recedimus.* Soliti autem ad postremum *Vale* plerumque subjungere haec verba; *nos te ordine, quo natura permiserit, cuncti sequemur.* Test. Serv. lib. III. Aen Vetus Inscriptio; VALE. ET. SALVE ANIMA. Ɔ. OPPIAE. FELICISS. NOS. EO. ORDINE. QVO. NATVRA. PERMISERIT. TE. SEQVEMVR. VALE. MATER. DVLCISSIMA. *Kirchman.* Sed formulas hisce vel iis similes saepissime invenies in antiquis lapidibus.

XXXV.

v. 4. *Comini*) Scriptam mihi a Catullo videtur hoc Epigramma in Cominium, rabulam quemdam de foro, et odiosum accusatorem, cujus et Cicero et Ascon. orat pro Corn. meminerunt, et pro Cluent.

A vito A quo quum esset vel ipse Catull. vel amicorum ejus aliquis injuria affectus, seu forsitan etiam accusatus, hoc Epigrammate acerbam ejus et inimicam bonis omnibus linguam et loquacitatem insectatus est.

XXXVII.

v. 11. *studioso animo venanda*) Obscurae doctrinae, atque eruditionis plena, et ad quae intelligenda sagacissimo ingenio sit opus. Hac translatione utitur Cicero l. v. de Finibus n. LIV. *Maximae autem sunt, primum, ut mihi quidem videtur, et iis quorum nunc in ratione versamur, consideratio, cognitioque rerum coelestium, et earum, quas a natura occultatas, et latentes indagare ratio potest.*

v. 12. *Battiadae*) Carmina ad exemplar Callimachi elucubrata, quae te valde vexent, et contineant in officio.

v. 14. *musca*) Impudentis et molesti hominis Hieroglyphicum musca fuit apud Aegyptios, quemadmodum traditur.

v. 18. *evitamus amictu*) Velut Indici elephanti. Lucanus l. VI. versu CCVII.

Getulus densis Elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squallenti missile tergo
Frangit, et haerentes mota cute discutit hastas,
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem.
Confixae stant TELA ferae - -

Hebetudinem telorum Gellii subsannat, tum etiam lacerti debilitatem. Dum haec lego, videor cernere Priamum adversus Pyrrhum languide insurgentem, quem divinus Maro ita nobis ob oculos ponit II. Aen. versu DXLIV.

Sic fatus senior, TELUMque imbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus aere repulsum,
Et summo clypei nequidquam umbone pependit.

v. 19 *tu dabi' supplicium*) Terentius Eunucho Act. I. sc. I.

Et te ultro accusabis, et DABIS ei ultro SUPPLICIUM.

DE METRIS

CATULLIANIS

Versuum genera, quibus in Epigrammatibus hisce selectis Catullus utitur, sunt quae sequuntur.

Primum locum obtinet Phalaecius Hendecasyllabus, qui costat e Spondaeo, Dactylo, et tribus Trochaeis, hoc pacto:

Quoi do--no lepi-vv dum no-v vum li-v bellum-v

In prima tamen sede admisit quandoque Trochaeum et Jambum loco Spondaei, ut in sequentibus:

Ari-v da modo-vv pumi-v ce expo-v litum-v

Meas v-esse ali-vv quid pu-v tare-v nugas-v

Hoc primo genere versus utitur Catullus sexdecies, videlicet Carmine I, II, IV, V, VI, VII, XI, XII, XIII, XIV, XVIII, XIX, XXI, XXII, XXIII, XXV.

Sequitur secundo loco Jambicus Trimeter, seu Senarius Acatalectus, qui constat sex pedibus, qui omnes possunt esse Jambi, ut:

Ait v-fuis v-se na v-vium v-celer v-rimus v-

Nonnumquam verò in locis disparibus, puta in primo, tertio, quinto admittuntur compares pedes, veluti Spondaeus, non autem Choraeus; quandoque etiam imparisyllabi, veluti Anapaestus vv-Dactylus, Tribrachys vvv. At in locis paribus praeter Jambum, et ejus loco Tribrachyn, vix extra Comoediam caeteri pedes recipiuntur. Exempla misti Jambici:

Sella in-- curu v- li Stru--ma No v-nius v-sedet v-

Per Con--sula v-tum pe--ierat v-Vati v-nius v-

Hoc genere Catullus utitur bis, nimirum Carm. III, XXIV.

Succedit superioribus Choriambicus, sive Scazon, in omnibus praecedenti conveniens, si duos ultimos pedes

excipias; etenim ordine inverso quintus pes semper est Jambus, ultimus semper Spondaeus, ut:

Suffe -- nus is v- te Va v- re quem v- probe v- nosti--

Quarti generis est Trochaicus Stesichorius, qui constat sex pedibus: Choraeo, vel Spondaeo, Dactylo, Cretico -v- iterum Choraeo, iterum Dactylo, postremum Choraeo, ut:

Hunclu -- cum tibi-vv dedico-v-conse -v croque Pri-vv ape-v

Eodem genere Catullus utitur bis, videlicet Carm. VIII, IX.

Quinti generis est Choriambicus, qui constat quinque pedibus, nimirum Spondaeo, tribus Choriambis, et Pyrrichio, ut:

Ventos-irrita fer-vv-re et nebulas-vv-aerias-vv-sinis vv

Utitur eo Catullus semel, videlicet Carm. XV.

Sexti generis est Pseudo-Phalaecius, qui constat duobus Spondaeis, ac tribus Choraeis, ut:

Ora-- mus si-- forte-v non mo-v lestum est -v

Utitur eo Catullus semel, quamvis intermiaceat Hendecasyllabos, idest Carm. XXVI.

Septimi generis est Pherecratius, qui ferè constat Spondaeo, Dactylo, atque iterum Spondaeo, ut:

Sospi-v tes ope-vv gentem--

Bis eo Catullus utitur, scilicet Carm. XVII, XXVII.

Octavi generis est Hexameter, cujus notissima structura. Catullus non raró adhibet Spondaeum pro Dactylo in quinta aede, veluti:

Non prius-vv exil-- lo fla-- grantia-vv decli-- navit--

Catullus bis eo utitur, videlicet Carm. XXVIII, XXIX.

Noni generis est Pentameter Elegiacus aequè notus, ut:

Sevocat-vv a do-- ctis- Hortale-vv virgini-vv bus-

Utitur eo Catullus septies, vdelicet Carm. XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXVI, XXXVII.

In eorum gratiam, quibus Catullianae elegantiae veneresque merito ac jure sapiunt, addemus Carmen Elegiacum cl. v. Hieronymi Fracastorii

IN OBITU

M. ANTONII TURRIANI

VERONENSIS

AD JOHANNEM BAPTISTAM

TURRIANUM FRATREM

ELEGIA

Etsi egomet tanti casu perculsus Amici
Solamen nostris discuperem lacrimis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
Pergeret aut tantus urere corda dolor;
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror,
Isthaec moesta tibi carmina persolui:
Quo fortasse meis consolarere Camoenis,
Si miseros quicquam Musa levare potest:
Ac ne tu in lacrimas paullatim totus abires,
Liquitur ut pluvio tacta pruina Noto.
Quandoquidem cari fato te Fratris acerbo, est
Rumor in extrema vivere tristitia,
Nec jam posse quietis habere, aut commoda somni,
Sed cedente die, sed redeunte queri:
Moerentemque, vagumque, et turpem fletibus ora

Amissum totis quaerere litoribus.
Fertur ut Eridiani ripas errasse per omnes
Anxia fraterno funere Lampetie:
Septem quam perhibent somni sine munere noctes,
Jejunam septem continuasse dies:
Et quoties longo defessa errore viarum
Umbrosi in ripa concidit Eridani,
Reddite vos Phaethonta mihi, clamabat ad undas,
O quaecumque sub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, ullius si cuiquam morte dolendum est,
Justa quidem tanti caussa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi, omnia Frater
Commoda, teque ipsum perdidit atque tuos:
Perdidit hei misero carus tibi Frater ademtus,
Quo tibi non ullus carior alter erat.
Ille amor, ille tuae solamen dulce juventae,
Ille tuae fuerat spes, columenque domus:
Quicum versari semper, quicum esse solebas,
Atque animi arcana dicere consilia:
Unum mirari, atque unum praeponere cunctis,
Ambrosiae e cujus effluere ore lepos.
O nimium miseri nos, et genus aerumnosum,
Deterius quorum est conditione nihil.
In nos saevitum est bello, quo durius umquam
Vidit nulla aetas, nec feret ulla dies.
Servitium tulimus crudele, et barbara jussa:
Parsque domos caras liquimus, et patriam.
Relliquias, miserosque absumsit tabida cives
Pestis, et huc illuc saevit Erinnys adhuc:
Nec sat erat: miseri crudelia funera Cottae
Flevimus. O indigna Cotta premere nece!
O Cotta infelix, quae te fata impia nobis
Tam subito ante tuos abripuere dies?
Jam neque finierant gemitus, et lumina siccis
Non bene cessarant tristia flere genis;
Quum tu Marce cadis, quum nos tot tristibus actos
Deseris, heu, falsus credulitate tui.

Non hoc vivida nos tua jam sperare juventa;
 Hoc tua nan virtus, non benefacta dabant;
Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem
 Externa miseri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus aequaret Olympo,
 Unus qui multos instrueres populos.
Qualis ab aerio decurrens monte jugi fons
 Communes multis sufficit unus aquas.
Namquid ego aut laudes memorem, aut tua maxima laudum
 Praemia? quam humano profueris generi?
Aut quam saepe animas positas jam sedibus Orci
 Ad sua Apollinea membra vocaris ope?
Vos testes Ticine, et qui inter pascua laeta
 Medoace antiquos abluis Euganeos:
Illo, quos, fama est, naturae arcana docente,
 Saepe inter Nymphas obstupuisse suas:
At nunc amisso turbatis flesse sub undis,
 Inque mare assuetas non habuisse vias.
Non tamen aut soli, nec vos magis omnibus amnes
 Indoluistis acerbo illius interitu.
Illum etiam Grajae, et Nymphae flevere Latinae,
 Illum etiam Tuscis Calliopea modis.
Quin etiam silvae, et montes gemuisse feruntur,
 Et vos extremi flestis Hyperborei:
Sed mage Benacusque senex, et Sarca, sepulti
 Qui prope vicinum praetereunt tumulum:
Sed magis ipse Athesis, olim qui corpus humandum
 Condendum caram perferet in patriam,
Ne extra cognatos cineres, Turrensiaque ossa
 Illum perpetuo terra aliena tegat.
Tunc vos, o patrio progonatae Najades amne
 Spargite odoratis plena sepulcra rosis.
Tempus erit, quum posteritas mirata nepotum,
 Quantum isti dicent, ah! tribuere Dei.
Atque aliquis monumenta legens, et scripta jacentis
 Devota ad mutos serta feret cineres.
Interea, o vos Benaco centum patre Nymphae,

Sarcaque ab Alpinis edite verticibus;
Et vos o Naci rupes, et saxa Briani,
  Et nemora umbrosis densa cacuminibus;
Ferte aliqua, o nunc ferte meo solatia Batto,
  Et tantam ex animo demite tristitiam.
Quem neque sancta potest Sophie complexa levare,
  Musa nec assuetis sedula carminibus.
Batte, tamen vates, longum ut quaesisset ademptam,
  Et longum fleaset Thracius Eurydicen,
Nullo solatus, blando quam carmine, curas,
  Nullo, quam Sophia, dicitur esse magis.
Illi, seu Rhodopes silvis erraret in altis,
  Sive in desertis Strymonia aggeribus;
Semper Musa comes, semper pendebat eburna
  Ex humero numeris docta sonare lyra:
Ille orbem immensum semper spectabat ' et orbis
  Ornatum, puris sidera luminibus,
Et maria, et montes vastos, atque irrequieta
  Flumina, tum quicquid denique terra parit.
Quorum animadvertens certa sub lege tenorem,
  Paullatim caram senserat Eurydicen
Deleri, et tristem mutari in gaudia mentem:
  Tantum animos rerum forma levare potest.
Aspice lucentem Lunae Titanidis orbem,
  Et cum sole suo quae super astra micant:
Omnia sunt aeterna, et vitae juncta perenni:
  Quae loca felices Dîque, animaeque colunt.
Inferior Leti regio est, sedesque malorum,
  In qua est, quod felix intueare, nihil.
Quippe solum hoc ventique, imbresque, et cuncta fatigant,
  Quaecumque aeria de regione cadunt.
Adde aestusque, hiemesque, et morborum genus omne:
  Tum natura aliqua est indiga semper ope.
Nos porro desideriis mala plurima nostris
  Junximus, o praeceps in sua damna genus.
Hinc odia, et timor, et lites, et bella cruenta,
  Et via non uni plurima aperta neci.

Attamen in tantis aerumnis est animi spes
  Unica, quem melior vita beare potest.
Quippe, ubi praefulgens ulla virtute reliquit
  Corporeum, aedes advolat aetherias,
Semideumque domos, et Divum morte carentum;
  Hic, ubi non aestas, nec fera saevit hiems:
Nec dolor, aut desideria infelicia nostri:
  Nec aora partem aliquam; nec rude vulgus habet:
At sancti heroes habitant, gens inclyta bello,
  Ingenuique novem qui coluere Deas:
Quique pii, justique, Deum praecepta secuti,
  Et sancta insignes qui fuerunt sophia.
Quos inter tuus ipse recens a funere Frater
  Miratur coelum, Coelicolumque domos,
Aeternamque diem, et felicem ex ordine gentem:
  Inter quos gaudet se quoque dinumerans,
Quem circum illustres animae, proavique, paterque
  Intentos oculos ore nepotis habent,
Et pulchram effigiem agnoscunt: miratur et ipse
  Egregiam stirpem, magnanimumque genus:
Agnoscitque suos, et facta, et nomina discit,
  Tum quantum sit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, tristem ante senectam
  Carpere iter coeli cui potuisse datum est.
Quas syrtes, quos et scopulos post terga relinquis,
  Marce? tibi a quanto est salva carina mari?
Fortunate iterum! tu non incommoda vitae
  Passus adhuc, non quae plurima habet senium;
Sed dulces inter Musas, et Apollinis artes
  Fortunata nimis vita peracta tibi est.
I decus Ausoniae, juvenis, numeroque Deorum
  Te immisce: culta est jam tibi terra satis.
Illa tuum, dum sidera erunt, dum flumina current,
  Nomen in astra memor, et benefacta feret.

DE VITA ALBII

T I B U L L I

Quod Albio Tibullo praenomen fuerit, minus comperum habemus; sive id scriptores librarii olim praetermiserint, sive Poeta nullum gesserit; quae tamen res a consuetudine Equitum Romanorum, in quibus ipse numeratur, prorsus aliena. Honesto et equestri loco natus est in Urbe terrarum domina, ut perantiquae membranae testantur. Petrus Crinitus et Lilius Gregorius Gyraldus, qui ante duo saecula Poetarum historiam persecuti sunt, annum Urbis conditae DCCXI, *quo A. Hirtius et C. Vibius Pansa Coss. proelio Mutinensi adversus Antonium pro patria occubuerant, Tibullo simul atque Ovidio natalem fuisse, monumentis litterarum tradiderunt. Id porro illis persuasit versus quidam pentameter, quem utriusque poetae codices praeferunt, ubi ambo de sui ortus tempore verba faciunt,*

1 Quum cecidit fato Consul uterque pari.

At Josephus Scaliger, qua erat sagacitate, primum subodoratus est, hunc versiculum ex Tibulli carminibus tamquam spurium et aliunde sumtum, ex pungi oportere; quod ni fiat, magnam temporum confusionem oriri. Calculum adjecit Janus Douza, qui Schediasmate succidaneo ad Tibullum manifesto admodum ostendit, de arca Sulmonensis Equitis a quodam in re aliena nimis offi-

---

1 Tibullus Lib. III., El. V. Ovidius Lib. IV. Trist El. X.

cioso Romani hujus supellectilem auctam. Quod utinam humaniore stilo et minus obsoleto praestitisset bonus ille Douza, ut quae scribebat, et legi, libentius, et intelligi facilius possent. Ego vero argumenta quibus utitur, summatim proferre non gravabor. Primum igitur, nullo modo Tibullus potuisset Messalam sequi ad bellum Aquitanicum, stipendia merere, gnavi denique militis vicem fungi (*quod ipse de se narrat*) 1 *quindecim annos natus, vel etiam aliquanto minor: tot enim fere intercedunt ab Hirtii et Pansae consulatu ad Messalae victoriam ac triumphum de Gallis, quem egit anno Urbis conditae* DCCXXVI, *ut ex vetustissimo lapide satis constat. Deinde Ovidius libro IV Tristium, Elegia X, ubi aetatis ordine servato, Elegiae Latinae scriptores enumerat, Gallo principem locum tribuit, alterum Tibullo, tertium Propertio, sibi ipse postremum: ex quo colligimus, Tibullum Propertio atque Ovidio natu majorem fuisse, et nisi quis inepte cavilletur, Nasonem serius ad scribendum appulisse animum; quod in poetam ingeniosissimum, et versus plurimos nullo negotio fundere solitum, minus convenit. Huc pertinet Ode Horatii ad Albium inscripta* 2, *in qua Venusinus poeta, sui exemplo proposito, Tibullum ob* Glycerae *saevitiam* Elegos miserabiles decantantem, *et* sibi juniorem *praeferri* dulentem *in amore, ab animi aegritudine revocat, et solatur. Quod poema si, ut ordo carminum ostendit, compositum fuit ante aliud* 3 *de Augusti Actiaca victoria adversus Antonium et Cleopatram, quam in annum conditae Urbis* DCCXXIII *indicisse liquet, inveniemus, dummodo communi opinioni assentiri velimus, Tibullum annorum vix duodecim Elegiacum poetam, Glycerae amatorem, et,*

---

1 Lib. I., Eleg. VII.
2 Lib. I Od. XXXIII.
3 Lib. III. Od. XXXVII.

quod magis mirabile, tanquam grandaevum a puella domo exclusum. Omnibus igitur fucum facit Ovidianus ille versiculus, Tibullo, ut aut memorntus Douza, a mala manu adsutus. His docti viri gravibus argumentis liceat mihi levius quoddam, neque tamen omnino contemnendum, addere de mea penu; ne scilicet ad has epulas, quod ajunt, veniam asymbolus. Vix est ut credere possim, Ovidium Tibulli memoriae studiosissimum, quum animadvertisset, se natalem diem, vel saltem annum cum illo habere communem, qua erat praecipue diligentia in rebus vel minimis, ejusmodi eventum silentio praetermissurum fuisse. Veri simillius itaque fuerit, aequalem Horatii Tibullum facere, id suadente ipsius Flacci testimonio, qui Epistola IV. *Libri* I. candidum judicem sermonum suorum *eum appellare non dedignatur. Emunctae vero naris homineum, qualis erat Horatius, jam octo lustris vivendo exactis, scripta sua accuratissime elucubrata, homini adolescenti, viginti duobus annis ipso juniori, castigauda committere, jure ac merito puduisset. Quibus jactis fundamentis, alius error convellitur, qui jam invaluit, Tibullum videlicet in ipso aetatis flore vita defunctum esse; idque propter auctoritatem Domitii Marsi, qui Romanum hunc Equitem* juvenem ad Elysios migravisse, *in Epitnphio testatur. Hujus enim testimonii pondus elevari facile potest: quum sciamus* 1, *eos qui* XLVI. *aetatis annum praetergressi nondum forent, ex instituto Servii Tulli juniores appellatos: qui vero excessissent, seniores. Quapropter Sallustius* 2 *C. Caesarem triginta sex annos natum quum summi pontificatus apicem peteret*, adolescentem *vocare non dubitavit. Quum igitur ex eodem Marsi Epigrammate intelligamus, paullo post Virgilii*

---

1 A. Gellius Lib. X N. A. cap. XXVIII.
2 In Catilina, cap IL.

mortem Tibullum vivere desiisse, *Donatus vero scripserit* , *Virgilium natum C. Sentio Saturnino* , *Q. Lucretio Vespillone Coss. anno Urbis conditae* DCCXXXV , *sequitur necessario* , *si Tibullum* , *ut ratio postulat* , *Horatio supparem facimus* ; *cujus natalis contigit anno* DCLXXXIX , *L. Aurelio Cotta*, *L. Manlio Torquato Coss.* ; *eum ultra quadraginta annos vitam produxisse* . *At de istis fortasse plus nimio* : *ad reliqua pergamus* .

Patrimonium , *quod peramplum habuerat* , *repente imminutum deflevit* : *sive illud luxuria sua ipse prodegerit* ; *sive militum Caesarianorum vi et latrocinio* , *quibus tum omnia vastabantur* , *pessumdatum fuerit* . *Hoc alterum verum existimo* : *Horatius enim*, *Epistola superius memorata* , *eum laudat a frugalitate* , *quod opibus recte ac moderate frui sciret* : Non tu , *inquit* , corpus eras sine pectore . Dii tibi formam , Dii tibi divitias dederunt , artemque fruendi . *Unde etiam planum fit* , *Tibullum non esse decoctorem illum et gurgitem* , *de quo idem Flaccus Satyra* IV. *libri* I. Non vides, Albi ut male vivat filius? — -- magnum documentum ne patriam rem Perdere quis velit . *Aliud quoque argumentum affertur verae caussae paupertatis Tibulli* ; *nempe Octavianum Caesarem* , *tanti nominis principem* , *et de litteratorum laboribus optime meritum* , *ad quem laudibus ornandum reliqui poetae undique certatim accurrebant* , *a Tibullo* , *tamquam indignum prorsus omissum* , *et*, *quantum in ipso erat*, *oblivioni traditum* : *ob odium* , *credo* , *Equitis nostri* , *et moerorem* , *quo* , *direptis bonis*, *conficiebatur* . *Non ideo tamen ad summam inopiam redactus est* : *sed illi benigno semper Copia cornu suppeditavit unde* 1 famem despicere posset . *Ruri certe vitam agere decrevit* , *ubi*

---

1 Eleg. I. , Lib. I

remotus a strepitu rerum urbanarum ; salubres inter silvas *Epicuri* reptaret, curaretque per otium quidquid sapiente bonoque *maxime* dignum foret. *M. Valerii Messalae Corvini*, *summi viri*, *triumpho Aquitanico notissimi*, *cliens et comes perpetuus fuit* : *quem quum in Macedoniam proficiscentem itinere maritimo secutus esset*, *Corcyrae gravi morbo correptus decubuit*. *Quum esset in amores paullo proclivior*, *quibus etiam colendis et agitandis propter oris elegantiam factus videbatur*, *in primis Deliam puellam*, *vero nomine Plautiam*, *uti Appulejus* 2 *testis est*, *mire dilexit*. *Nemesin deinceps*, *libertinae conditionis mulierem*, *ut videtur*; *Neaeram insuper*. *Sulpiciam quoque ac Cerinthum*, *amatorem parem sibi jucundissimum*, *carminibus celebravit*. *Miror autem*, *cur ab Ovidio duae tantum ejus amicae nominentur*, *Delia et Nemesis* 3, *quarum alteram lecto morientis adstitisse*, manuque *illius deficiente pressam testetur*. *Fortasse* (*nihil enim commodius in mentem venit*) *sub Lygdami et Neaerae nominibus culpiam amicorum gratificatus est*; *non suis*, *at alicuis amoribus*, *castis tamen et conjugalibus*, *inserviens*. *Parum libenter se militasse ipse non semel significat* : *nam et Pacis cultorem se profitetur*, *diramque sitim humani sanguinis identidem abominatur*. *Macrum et Horatium poetas in familiaribus habuit* : *etiam T. Valgii*, *heroico versu excellentis*, *honorificam mentionem facit*. *Ejus autem immaturus obitus Nasonis illustri Epicedio defletus est*, *qui matrem et sororem suprema illi pietatis officia persolvisse scribit*. *Quanti autem Elegiae Tibulli aestimandae sint*, *vel ex uno Fabio Quintiliano colligere possumus*, *qui quum*

2 Horatius Epist. IV., Lib. I.

3 Apologia priore. ubi alii *Planciam*, vel *Planiam*, vel *Flaviam* legunt.

tersum *judicet* atque elegantem maxime, *simul ei principatum in hoc genere carminis facile tribuit. Horatius Cassio Parmensi præponit: Ovidius* cultum appellat, *ejusque carmina numquam intermoritura vaticinatur. Equidem Tibullo suaviorem poetam, planiorem, aut magis aptum ad motus animi pingendos non invenio. Sunt quibus Panegyricus ad Messalam minus arrideat; nec injuria; voluit enim Auctor in illo poemate egredi gyrum ingenii sui; adeoque nil mirum, si ei non successerit.*

ALBII TIBULLI

EQUITIS ROMANI

CARMINA

EX LIBRO I.

ELEGIA I.

Velle se, relictis opibus, ruri degere.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
  Et teneat culti jugera magna soli.
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
  Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
  Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
  Rusticus, et facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
  Praebeat, et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
  Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
  Libatum agricolae ponitur ante deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
  Spicea, quae templi pendeat ante fores.
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
  Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
  Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa juvencos:
  Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
  Clamet: Io messes, et bona vina date.
Jam modo non possum contentus vivere parvo,
  Nec semper longae deditus esse viae:
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
  Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
  Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat, foetumve capellae
  Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori furesque, lupique,
  Parcite. de magno praeda petenda grege est.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
  Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi. neu vos e paupere mensa
  Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum, fructusque requiro
  Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est: satis est, requiescere lecto

Si licet, et solito membra levare toro.
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos imbre juvante sequi!
Hoc mihi contingat. sit dives jure, furorem
Qui maris, et tristes ferre potest Hyadas.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias.
Hic ego dux milesque bonus. vos signa, tubaeque
Ite procul. cupidis vulnera ferte viris.
Ferte et opes. ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

ELEGIA II.

Corcyrae morbo detentus, cum nequeat sequi Messalam in expeditione Syriaca, longa itinera damnat, seque ait morte obita ad Elysios migraturum.

Ibitis Aegeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse, cohorsque mei.
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.
Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus.
Abstineas, Mora atra, precor. non hic mihi mater,
Quae legat in moestos osaa perusta sinus:
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis:
Delia non usquam, quae me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi

Rettulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus. tamen est deterrita numquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira;
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Nunc, dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis:
Ut mea votivas persolvens Delia poenas,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua thura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus,
Non domito fraenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec ensem

Immiti saevus duxerat arte faber:
Nunc Jove sub domino caedes et vulnera semper:
Nunc mare, nunc leti mille repente viae.
Parce, pater. timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis:
Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus.
Messalam terra dum sequiturque mari.
Sed me, nam casto fuerunt haec praemia amanti,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreae, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
At scelerata jacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant,
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Saevit: et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta Serpentum Cerberus ore
Stridet, et aeratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectusque novem Tityus per jugera terrae
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic et circum stagna; sed acrem
Jam jam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quod numina laesit,
In cava lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicunque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.

At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella
Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, ne quisquam nunciet ante,
Sed videar coelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos
Obvia festivo, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

ELEGIA III.

Celebrat Messalae natalem diem, opportune ad ejus victorias recensendas, multarumque regionum laudes excurrens.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo,
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere. novos pubes Romana triumphos
Vidit, et evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici.

Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleis placidus per vada serpis aquis?
Quantus et aethereo contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis et, arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem dura caedere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.
Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,

Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae, nec vultus, Osiri:
  Sed chorus, et cantus, et levis aptus Amor.
Sed varii flores, et frons redimita corymbis,
  Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:.
Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
  Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis, Geniumque choreis
  Concelebra, et multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo:
  Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne. tibi dem thuris honores,
  Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
  Augeat, et circa stet venerata senem.
Nec taceant monumenta viae, quem Tuscula tellus,
  Candida quem antiquo detinet alba lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
  Sternitur: hic apta jungitur arte silex.
Te canet agricola, e magna quum venerit Urbe
  Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
  Candidior semper, candidiorque veni.

ELEGIA IV

Ad bellum iturus militiam detestatur, et pacis otia laudat.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!

Tunc caedes hominum generi, tunc proelia nata:
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor: et jam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela:
Hostia erit plena rustica porcus ara.
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis. alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces.
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet, et tacito clam venit illa pede.

Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, at Stygiae navita turpis aquae.
Illic exesisque genis, ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus,
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto:
Perpluat et pomis candidus ante sinus.

ALBII TIBULLI

CARMINA

EX LIBRO II.

ELEGIA I.

Sacrum ambarvale. Ruris, ac deorum rura colentium laudes.

Quisquis ades, faveas: fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat: et spicis tempora cinge Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.
Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres segnior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingerat ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis: et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur Agricolis gratia Coelitibus.
Rura cano, rurisque deos. his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire casam:
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc insita pomus;
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas:
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores;
Mixtaque securo sobria lympha mero est.

Rura ferunt messes, calidi quum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro,
Cantavit certo rustica verba pede.
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus. duxerat hircus oves.
Rure puer verno primam de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc et femineus labor est, hinc pensa, colusque,
Fusus et apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assiduae textrix operata Minervae
Cantat, et appulso tela sonat latere.
Ipse interque greges, interque armenta Cupido
Natus, et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Sancte veni dapibus festis; sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate deum, pecorique vocate
Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet.
Aut etiam sibi quisque palam. nam turba jocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.
Ludite, jam Nox jungit equos, currumque sequuntur

Matris lascivo sidere fulva choro.
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, et incerto somnia nigra pede.

ELEGIA II.

Cerinthi amici sui diem natalem celebrat.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras.
Quisquis ades, lingua vir, mulierque fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores.
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo:
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat et, Cerinthe, tibi quodcumque rogabis.
En age, quid cessas? adnuet ille; roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores,
Jam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris totum quaecumque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove.
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor?
Vincula quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Hac venias Natalis avi, prolemque ministres:
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

ELEGIA III.

Messalino M. Valeri Corvini Messalae filio in collegium Quindecim virorum cooptato, laudat oracula Sibyllarum, Phoebique patrocinium precatur.

Phoebe fave; novus ingreditur tua templa sacerdos;
 Huc age cum cithara, carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
 Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
 Dum cumulaot aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus, pulcherque veni. nunc indue vestem
 Sepositam, longas nunc beoe pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
 Victori laudes concinuisse Jovi.
Tu procul eventura vides: tibi deditus augur
 Scit bene quid fati provida cantet avis.
Tuque regis sortes: per te praesentit haruspex,
 Lubrica signavit quum deus exta notis.
Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla est,
 Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe sacras Messalinum sine tangere chartas
 Vatis: et ipse, precor, quid canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
 Dicitur, et raptos sustinuisse Lares:
Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto
 Ilion, ardentes respiceretque deos.
Romulus Aeternae nondum formaverat Urbis
 Moenia, consorti non habitanda Remo.

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae,
Et stabant humiles in Jovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,
Et facta agresti lignea falce Pales.
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum
Garrula silvestri fistula sacra deo:
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera jungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Impiger Aeneas volitantis frater Amoris,
Troia qui profugis sacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes adsignat Juppiter agros:
Jam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda deûm coelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes.
Tandem ad Trojanos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.
Jam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.
Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos:
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae jam locus Urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis
Qua sua de coelo prospicit arva Ceres:
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troja quidem tum se mirabitur, et sibi dicet

Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano. sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et aeternum sit mihi virginitas.
Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit,
Jactavit fusa sed caput ante coma.
Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit,
Herophile Phoebo grata quod admonuit:
Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu;
Hae fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia coelo
Audita, et lucos praecinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.
Et simulacra deûm lacrimas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves.
Haec fuerint olim. Sed tu, jam mitis, Apollo
Prodigia indomitis merge sub aequoribus.
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis;
Omine quo felix, et sacer annus erit.
Laurus io bona signa dedit: gaudete coloni:
. Distendet spicis horrea plena Ceres.
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum, magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet. a stabulis tunc procul este lupi,
Ille levis stipulae solennes potus acervus
Accendet, flammas transilietque sacras.
Et foetus matrona dabit, natusque parenti

Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit.
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta: coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes, et festas exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellae,
Postmodo quae votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem,
Et se jurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereant arcus, pereantque sagittae,
Phoebe: modo in terris erret inermis Amor.
Acer amor, fractas utinam tua tela sagittas,
Si licit, extinctas aspiciamque faces,
Ut Messalinum celebrem, quum praemia belli
Ante suos currus oppida victa feret.
Ipse gerens lauros, lauro devinctus agresti
Miles io magna voce triumphe canam.
Tunc Messala meus pia det spectacula turbae,
Et plaudat curru praetereunte pater.
Adnue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli:
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

ALBII TIBULLI

CARMINA

EX LIBRO III.

ELEGIA I.

Festis Matronalibus Musas rogat, ut ad Neæram, puellam speratam, perferant volumen carminum suorum.

MARTIS Romani festae venere Kalendae.
Exoriens nostris hic fuit annus avis,
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen.
Carminibus sponsae, pretio capiuntur avarae.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex et canas tondeat ante comas:
Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
Indicet ut nomen littera facta meum.

Atque inter geminas pingantur cornua frontes.
Sic etenim comtum mittere oportet opus.
Per vos auctores hujus mihi carminis oro,
Castaliamque umbram, Pieriosque lacus;
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum nympham longa donate salute,
Atque haec submisso dicite verba, sono:
Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, et accipias munera parva, rogat.
Teque suis jurat caram magis esse medullis:
Sive sibi conjux, sive futura soror.
Sed potius conjux. hujus spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

ELEGIA II.

Neærae conjugio fraudatus mortem optat, et quomodo condi sepulcro velit, declarat.

Fraeceus ille foit qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta conjoge qui potoit.
Non ego firmus in hoc; non haec patientia nostro
Ingenio, frangit fortia corda dolor.
Haec mihi vera loqui pudor est, vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nota meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget,

Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum moesta Neæra rogum.
Sed veniat carae matris comitata dolore.
Moereat haec genero, moereat illa viro.
Praefatae ante meos manes, animamque precatae,
Perfusaeque pias ante liquore manus:
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc quas mittit pinguis Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem,
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera caussam,
Atque haec in celebri carmina fronte notet;
Lygdamus hic situs est. dolor huic, et cura Neærae
Conjugis ereptae, caussa perire fuit.

ELEGIA III.

Unice se Neærae conjugium optavisse, sed frustra.

Quid prodest coelum votis implesse, Neæra?
Blandaque cum multa thura dedisse prece?
Non ut marmorei prodirem e limine tecti
Insignis clara, conspicuusque domo:

Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
· Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
Inque tuo caderet nostra senecta sinu.
Tunc, quum praemensae defunctus tempora lucis
Nudus Lethaea cogeret ire rate.
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive Caryste tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucus,
Auratae que trabes, marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae littore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidia est: falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curaeque levantur.
Nam fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neaera.
At sine te, regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si pro dulci reditu quaecunque voventur,
Audiat aversa non meus aure Deus:
Nec me regna juvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant: liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge posse frui.
Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas concha Cypria vecta tua.
Aut si fata negant reditum, tristesque sorores

Stamina quae ducunt, quaeque futura neunt:
Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

ELEGIA IV.

Apollinem se in somnis admonuisse de Neæræ sponsae suae perfidia, ejusdemque sibi conciliandae ratione.

Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quae tulit extrema pessima nocte quies.
Ite procul. vanum, falsumque avertite visum.
Desinite in vobis quaerere velle fidem.
Divi vera monent. venturae nuntia sortis
Vera monent Tuscis exta probata viris,
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.
Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, et saliente sale.
Et tamen, utcumque est, sive illi vera moneri,
Mendaci somno credere sive volent:
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum praetimuisse velit:
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec laesit magnos impia lingua Deos.
Jam mox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum, caeruleo laverat amne rotas:
Nec me sopierat menti Deus utilis aegrae
Somnus: sollicitas deficit ante domos.
Tandem quum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.

Hic juvenis casta redimitus tempora lauro
  Est visus nostra pooere sede pedem.
Noo illo quidquam formosius ulla priornm
  Aetas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa cervice fluebant:
  Stillabat Syrio myrea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
  Et color iu niveo corpore purpureus:
Ut juveni primum virgo deducta marito
  Inficitur teneras ore rubente genas:
Ut quum cootexunt amaranthis alba puellae
  Lilia, et autumno caodida mala rnbent.
Ima videbatur talis inludere palla;
  Namque haec in nitido corpore vestis erat.
Artis opus rarae fulgens testudine et auro
  Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
  Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
  Edidit haec tristi dulcia verba modo:
Salve cura Deûm, casto nam rite poetae
  Phoebusque et Bacchus, Pieridesque favent.
Sed proles Semeles Bacchus, doctaeque sorores
  Dicere non nôrunt, quid ferat hora sequens,
At mihi fatorum leges, aevique futuri
  Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego quae dico non fallax, accipe, vates;
  Quodque Deus vero Cynthius ore ferat.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
  Quantum nec timido casta puella viro;
Pro qua sollicitas coelestia numina votis,
  Quae tibi securos non sinit ire dies:

Et quum te fusco somnus velavit amictu,
  Vanum nocturnis fallit imaginibus:
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
  Alterius mavult esse puella viri.
Diversasque suas agitat mens impia curas,
  Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
  Ah pereat, didicit fallere si qua virum.
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis,
  Tu modo cum multa brachia tende prece.
Improba spes docuit validos tentare labores:
  Improba spes docuit verbera saeva pati.
Me quondam Admeti niveas pavisse juvencas
  Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
  Nec similes chordis reddere voce sonos:
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
  Ille ego Latonae filius atque Jovis.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas:
  Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
  Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse.
  Felix hoc: alium desine velle virum.
Dixit, et ignavus defluxit pectore somnus.
  Ah ego non possum tanta videre mala.
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
  Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt aequora Ponti,
  Nec flammam volvens ore Chimaera fero:
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
  Cui tres sunt linguae, tergeminumque caput:

Scyllaque virgineam canibus succincta figuram:
Nec te conceptam saeva leaena tulit:
Barbara nec Scythiae tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta et duris non habitanda domus,
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Haec Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

ELEGIA V.

Ad amicos in thermis Etruscis commorantes ut pro ipsius valetudine vota suscipiant.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda canem.
Nunc autem sacris Bajarum proxima lymphis,
Quum se purpureo vere remittit hiemis.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam.
Immerito juveni parce nocere, dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae sacra docere deae.
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit.
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes:
Nec cor sollicitant facta nefanda meum:
Nec nos insana meditantes jurgia mente
Impia in adversos solvimus ora Deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos,
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes
Quum cecidit fato consul uterque pari.

Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Letheamque ratem, Cimmeriosque lacus,
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequidquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,
Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocola mixta mero.

ELEGIA VI.

Curas ob fidem sibi a Neæra sponsa violatam vino se sopire velle.

Candide Liber ades. sic sit tibi mystica vitis
Semper; sic hedera tempora vincta geras.
Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem:
Nonne tuo cessit munere saepe dolor?
Care puer, madeant generoso pocula Baccho:
I, nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores;
Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem.

Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, et dominae misit in arbitrium.
Armenias tigres, et fulvas ille leaenas
Vicit, et indomitis mollia corda dedit.
Haec ipse, et majora valet. Sed poscite Bacchi
Munera. quem vestrum pocula sicca juvant?
Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illos,
Qui se, quique una vina jocosa colunt.
Jam venit iratus nimium nimiumque severus:
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeæ matris praeda cruente docet.
Sed procul a nobis hic sit timor: illaque, siqua est,
Quid valeat laesi, sentiat, ira dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
Aeriae et nubes diripienda ferant.
At nos securae reddamus tempora mensae:
Venit post multas una serena dies.
Hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa:
Difficile est tristi fingere mente jocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curae.
Odit Lenaeus tristia verba pater.
Gnosia, Theseæ quondam perjuria linguae
Flevisti ignoto, sola relicta, mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: felix, quicumque dolore
Alterius disces posse carere tuo.

ALBII TIBULLI

CARMINA

EX LIBRO IV.

CARMEN I.

Laudat Messalam, patronum suum, virum eximium, a civili prudentia, eloquentia, militari scientia, et rebus bello gestis: eumque toto terrarum orbe illustrem futurum vaticinatur.

Te, Messala, canam. Quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae nequeant subsistere vires,
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua te praeter chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint:
Est nobis voluisse satis. Nec munera parva
Respueris: etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit, et cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera coelo,

Erigoneque, Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides Deus ascensurns Olympum
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Parvaque coelestes pacavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dictet opus magni mirabile mundi,
Qualis in immensum descenderit aëra tellus;
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem;
Et vagus a terris qua surgere nititur aër,
Hinc ut contextis passim fluat ignibus aether;
Pendentique super claudantur ut omnia coelo.
At quodcunque meae poterunt audere Camaenae,
Seu tibi par poterunt (sed quod spes abnuit, ultra)
Sive minus, certeque canent minus, omne vo-vemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam, quanquam antiquae gentis superant tibi laudes,
Non tua majorum contenta est gloria fama;
Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores;
Quam tibi majores, majus decus ipse futurus.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu;
Convenientque tuas cupidi componere laudes.
Undique quique canent vincto pede, quique so-luto,
Queis potius certamen erit, sim victor in illis,

Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis?
Nam quis te majora gerit castrisve, forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus majorve, minorve:
Justa pari premitur veluti quum pondere libra:
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrinque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu judicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos, aut Ithace, tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvae magnum decus urbis Ulyxen.
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis:
Nec valuit Lotos coeptos avertere cursus.
Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis,
Victa Maronaeo faedatus lumina Baccho.
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos:
Incultos adiit Laestrygonas, Antiphatenque,
Nobilis Artaciae gelidos quos irrigat unda.
Solum nec doctae verterunt poeula Circes:
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces:
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,
Sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.

Vidit, ut inferno Plutonis subdita regna,
Magna Deum proles levibus discurreret umbris.
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis,
Nec Scyllae saeva conterruit impetus ore,
Quum canibus rapidas inter freta serperet nndas,
Nec violenta suo consumsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non Amor, et faecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et erroris miseri Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem;
Sit labor illius, tua dum facundia major.
Jam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos:
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores:
Ut facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti:
Laudis et assiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Possit, et effusas tardo permittere habenas?
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius contendere gyro?
Quid, parma seu dextra velis, seu laeva tueri,
(Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hastae)
An prior, aut signata cita loca tangere funda?
Jam simul audacis veniant certamina Martis,

Adversisque parent acies concurrere signis;
Tunc tibi non desit, faciem componere pugnae;
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplicem, seu junctum cernere Martem,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex geminis victoria castris.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. testis mihi victae
Fortis Iapidiae miles. testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes;
Testis Arupinis et pauper natus in armis.
Quem si quid videat, vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.
Centum foecundos Titan renovaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Gaudet equum, validisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conversus terga domator
Libera Romanae subjecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris, majora peractis
Instant, compertum est veracibus ut mihi signis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni;
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus.
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis.
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,

Nec quadrupes dansas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sunt multa silentia votis.
Juppiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit, et coelo vicinum liquit Olympum,
Intentusque tuis precibus se praebuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit abditus aris.
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis insistere rebus
Incipe: non iidem tibi sint, abisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris:
Nec fera te Tyrio tellus obsessa colono.
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes
Radit Aracteos haud una per hostia campos,
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe;
Impia nec saevis celebrans convivia mensis
Ultima vicinas Phoebo tenet arva Padaeus;
Quaque Hebrus, Tanaisque Getas rigat, atque Mosynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversus regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera sole:
Nam circumfuso considit in aëre tellus;
Et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duae gelido vastantur frigore semper.
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore;
Sed durata riget densam in glaciemque, nivemque.

Quippe ubi non unquam Titan superegerit ortus.
At media est Phoebi semper subjecta calori,
Seu propior terris aestivum fertur in urbem;
Seu celer hibernas properat decurrere luces,
Non ergo presso tellus consurgit aratro;
Nec frugem segetes praebent, nec pabula terrae.
Non illic colit arva deus, Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
Quas utrinque tenens similis vicinia coeli
Temperat, alter et alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus,
Hinc et colla jugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos.
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur aere:
Quinetiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius, aeterno propior non alter Homero.
Languida nam noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi vitantes ordine sulci
Horrea, foecundas ad deficientia messes;
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique lupoque:

Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admovet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis:
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec tibi Pierii solum tribuentur honores.
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Vel parvum Aetnææ corpus committere flammae.
Sum quodcumque, tuum est. nostri sit parvula cura,
Sit tibi quanta libet, si sit modo; non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.
Quod tibi si versus noster totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore:
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quinetiam mea quum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen mutata figura
Seu me finget equum gyro percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucris vehar aëra pennis:
Quandocumque hominem me longa refecerit aetas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

IN

ALBIUM TIBULLUM

NOTAE

ELEGIA I. EX LIB. I.

Pag. 81. *v.* 1. *divitias*) Haec elegia ordine prima est, sed tempore postrema, nam lapsus opibus Tibullus secessit in agellum, qui illi superfuit ex patrimonii naufragio, in regione Pedana. Haec igitur scribit in praediolo suo ad Messalam Corvinum tum in Ciliciam proficiscentem, quem etiam antea, bello Aquitanico sequutus erat. *Ex Scalig*.

v. 2. *soli*) Ego, ait, rusticabor mediocritate contentus, nec vota fallet ager, nam summopere veneror agrestes deos, nec ab istis posco Majorum meorum divitias, at victum tantummodo, et securitatem. Bella gerat Messala, ego libenter inglorius in otio vivam.

v. 3. *quem*) Qui semper ab hoste vicino sibi timeat.

v. 4. *classica*) Tuba et ipse sonus ad bella cienda. Hinc *classicum canere*.

v. 5. *me mea* ....) Ait se esse in paupertate comparatione facta cum avitis suorum divitiis. Ego, inquit, mediocritate mea et otio contentus ero, dum numquam egeam. Assiduus ignis deo indicat: copiam rei necessariae, et domos incolumitatem.

*p.*82. *v.* 14. *contentus vivere parvo*) Nunc, inquit, non modo possum in hac mediocritate vivere, et desistere a longis itineribus mercaturae caussa susceptis, sed etiam oblector amoenitate ruris, et rustico opere.

v. 31. *condita messis*) Majores Tibulli fundos latissimos possederant.

*p.*83. *v.* 11. *ego*) Ego post frumenta condita vacabo laetitiae.

II.

v. 13. *Messala*) Ad M. Valerium Messalam scribit, qui com Augusto consul fuerat.

v. 14. *mei*) Corcyrae, inquit, si morier non aderit mihi nec mater, nec soror, nec Delis quae antequam discederam omnes deos de meo reditu consuluit. Om-

nia fausta; tamen et illi et mihi timor animo insedarat. Precatur deinde Isidem ut vota Deliae excipiat, detque sibi ad patriam domum reverti. Tum poetarum more de pacifico Saturni Regno loquitur, quo vigente quisque tutus domi manebat, nec mercaturae aut belli caussa procul ibat. Quidquid tamen de se futurum sit, alitem post mortem ad Elysios migraturum, rivales vero suos ad Tartara. Tandem optat ut Delia sibi casta maneat donec ad eandem improvisus revertatur.

p.83. v. ult. *sortes*) Pueri sortes appellat, quoniam fortunae monitu pueri manu miscebantur atque ducebantur, ut ait Cic. l. 2. de divin. c. 41.

p.84. v. 1. *puer*) Puer scilicet casu transiens et vocem aliquam forte emittens, ex qua bonum augurium capietur.

v. 8. *diem*) Superstitionibus peregrinis Romani etiam utebantur, et Sabbatho iter facere nefas putabant.

v. 15. *lino*) Linea vestibus tamquam omnium purissimis cultores Isidis uteriebantur.

v. 16. *bisque die*) Bis in die laudes Isidi dicebantur. Hora prima Sacerdotes Isidis templum aperire consueverant, idque *Apertio* vocabatur, deinde salutabant Deam, quod *Salutationem* et *Excitationem* vocabant. Octava hora redibant quum templum clauderetur.

v. 17. *insignis ..... Pharia*) Insignis in turba Aegyptiaca; nam Isis Aegyptia dea. Insignem porro dicit, quod caneret Delia longis comis inter rasos, quales erant Isiaci.

v. 24 *compendia*) Compendia idem ac lucra.

p.85. v. 8. *Hic jacet*) HIC JACET, vel HIC SITUS EST, vel HIC SUNT OSSA etc. sepulcris vetares inscribebant.

v. 21. *Serpentum*) Alii:

Tum niger in porta Serpens: tum Cerberus ore
Stridet etc.

III.

p.86. v. 13. *Hunc cecinere .....*) In hac Elegia natalem Messalae et ejusdem victorias celebrat. Parcae cecinere diem natalem Messalae et ejus praeclara gesta, quae omnia probavit eventus. Usque ad p. 87. v. 5.

agit de Aquitanica Messalae victoria. Ibid. v. 4. canere incipit quae Messala triennio ante gesserat in Cilicia, Syria, et Aegypto. Vers. 13. occasione Aegypti de Nilo loquitur, tum de Osiride, et occasione Osiridis de Agricultura ab ipso inventa, et ejusdem dei comitatu, quem vocat ad diem natalem Messalae p. 88. v. 8. Tandem v. 14. revertitur ad Messalam cui plures natos optat.

p.86. v. 17. *Atur*) Atur fluvius fuit limes Aquitaniae ac Hispaniae ad Oceanum.

v. *ult. Santonici*) Indicat se quoque sub Messala militasse. *Tarbellae*, et *Santones* Aquitaniae populi.

p.87. v. 4. *Cydnae*) Cydnus Ciliciae fluvius.

v. 7. *Taurus*) Id est Mons Taurus ingens et asperrimus Cilicas dividit.

v. 9. *sancta columba*) Columba Syris sacra, quod Semiramidem in columbam versam fuisse putarent.

v. 19. *bovem*) Docta cum planctu bovem ad Sacrificium quaerere. De Api vide Plinium lib. 8. c. 46.

p.88. v. 7. *cista*) Cista claudens mysteria. Signa nimirum quaedam partim frivola, partim pudenda.

v. 15. *Mopsopio*) Mopsopio idem ac Attico; nam Mopsopius Athenarum antiquus Rex. Mel Atticum laudatissimum.

v. 16. *nec taceant monumenta* ....) Indicat ramos viae Latinae a Messala, Augusti jussu, stratos pecunia sua.

IV.

v. 25. *Quis fuit horrendos* ....) Haec Elegia pulcherrimae structurae est. Invehitur in inventorem ferri, et armorum, deinde, se quasi corrigens, invehitur in homines inventione utili abutentes; nec jam ferri, sed auri vitium esse quod homines in bella exarserint. Tum: utinam, inquit, mihi vita fuisset eo tempore, quo nondum auro reperto paupertas et pax diis hominibusque placebat. Pag. 89 v. 23. precatur deos ut se incolumem servent, ac deinde urgens argumentum v. 31. ait nihil esse jucunditatis post mortem. Rursus conversione facta ad vitam rusticam et tranquillam recenset bona pacis; atque ut amatorii aliquod inserat more suo, perbelle de rusticorum amoribus aliquando nimium rixosis loquitur. Tandem eo

sensu claudit qui egregie respondet ex adverso primis Elegiae versibus.

ELEGIA I. EX LIB. II.

p.91. v. 1. *Quisquis ades, faveas.....*) Lustrabant agros Rustici victimas circa praedia ducentes, deos agrorum praesides orantes, ut agros, et se, familiamque fortunarent, quibus peractis potu et cantu diem transigebant.

p.92. v. 9. *turbaque*) Moltitudo puerorum colono inservientium indicium erat multi et uberis agri. Porro ludebant pueri casas aedificantes aut ex luto, aut ex viminibus, ut ait etiam Horat. Sat. 3. lib. 2.

v. 17. *bene..... dicat*) Prospera Messalae ominetur.

p.93. v. 7. *Et satur arenti.....*) Et seq. Originem poeseos attingit, quae primum incomposita inter rusticos orta est. Indicat etiam principia Tragoediae; nam rustici tincti, et personati hac illac, vel saltantes, vel plaustro vecti alternantes carmina ferebantur: illi porro, qui potior baberetur, hircus praemio dabatur.

v. 21. *Cupido*) Eleganter declinat ad res amatorias occasione capta a Cupidine ruri nato.

v. 27. *vocate..... voce*) Voce vocare idem est ac nomine compellare.

v. 29. *turba*) Instar Sacerdotum et comitum Cybeles. Indicat agmen rusticorum phrygio sono tubas inflantium. Modus porro hic excitandis animis aptissimus.

II.

p.94. v. 4. *bona verba*) Idem est ac verba bonum omen continentia. Favere linguis est silentium agere dum sacra fiunt.

v. 11. *libo*) Libum natalitium erat placenta ex farre, melle, et oleo.

v. 14. *uxoris*) Non jam sibi matrimonio copulatae, sed desponsae tantummodo.

v. 20. *Vota cadunt*) Accidunt, eveniunt, non jam te frustrantur.

v. 26. *avi*) Hoc bono augurio, hoc Amoris, quem velut avem describit, adventu.

III.

p.95. v. 1. *Phoebe fave* ...) Elegia haec omnium Tibullianarum pulcherrima, et nobilissima.

v. 17. *pedibus*) Carminibus hexametris.

p.96. v. 1. *Palatia*) Mons palatinus.

v. 9. *Velabri*) Velabrum Romae planities inter Capitolium, Palatinum, et Aventinum.

v. 15. *Numici*) Hoc flumine submersum fuisse Aeneam, et deinde relatum inter deos constabat ex veteri fabula.

p.97. v. 2. *laurus*) Optat sibi Sibylla ut possit laurum comadere quin sibi noceat. Qui frequentius laurum Apollini sacram comedissent ii qui ad artem vaticinandi informari putabantur.

v. 6. *Mermessia*) Sibylla Mermessia a Mermesso oppido in monte Ida. Herophile, Sacerdos Apollinis Sminthei. Albuna idem ac Sibylla Tibürtina, quae ad fluvium Anienem vaticinabatur. Hae praedixerant futuras pluvias lapidum, quales et Livius memorat, armorum sonitus toto coelo, voces horrendas ex lucis, quae cladem ac fugam praenuntiarent, Solem obscurum, ut in morte Julii Caesaris. De Sibyllis ingens, et inanis quaestio. De his prodigiis nihil est cur miremur si aliquando apud Romanos evenerint; nam plura hujusmodi ipsa natura fiunt. Sol pluribus ex caussis potest obscurus videri, quae vel in ejusdem superficie sint, vel in aere nostro. Grandines insignis duritiei et magnitudinis pro lapidum pluvia haberi possunt. Cetera facile hominibus terrore correptis accidunt dum venti collidantur inter se, aut e silvia et specubus repercussi fractique sibilant.

v. 26. *lacus*) Vasa ingentia ad mustum excipiendum.

v. 50. *flammas .... sacras*) Festa palilia in honorem Palis Pastorum deae XI. Kal. Maji celebrabantur; atque inter cetera Pastores sub noctem ignes e stipulis excitabant, quos ter transiliebant.

p.98. v. 22. *spectacula*) Messala Pater det, ob laetitiam triumphantis Filii, spectacula gladiatoria, vel alia hujusmodi Romano populo.

ELEGIA I. EX LIB. III.

p.99. v. 1. *Kalendae*) Kal. Martiis, initio scilicet novi anni, ex Romuli institutione, Matronae festa celebrabant, et a Viris munera accipiebant; contra vero mense Decembri die Saturnalium Matronae munerabantur Viros. Poeta itaque occasione festorum Matri Neaerae mittit carmina.

v. 10. *Pumex et canus* . . . . .) Et seq. Liber erat candidus et tenuis. Hujusmodi porro charta bacillo adbibito convolvebatur, hinc bacillus etiam umbilicus dicebatur, quod convoluto libro ejus medium occuparet. Partes bacilli extra librum dicebantur cornua, quae aliquando erant eburnea. Orae voluminis inter quas exstabant appellabantur frontes. Chartae vero nectebatur membrana pumice expolita, quae et firmitati inserviret, et complicato libro titulum exterius litteris proderet. Haec membrana variis coloribus tingebatur; et titulus saepe aureus erat.

p.100.v. 11. *vir*) Vir quondam tibi futurus, nunc tantummodo frater. Hoc nomine intelligitur concubinus.

II.

v. 18. *Ferreus ille fuit* . . . . .) Ferreus qui amores mutuos primus dissolvit. Ferreus prope et ille qui puellam in matrimonium sibi copulandam haberi ab altero graviter non doluit. Ego certe amissa Neaera amplius non vivam; immo ita me in sepulcro condi praecipio, et ossa mea ita tegi.

p.101.v. 19. *in celebri* . . . . *fronte*) Frons celebris est frons sepulcri prope viam publicam siti. Hinc sepulcra habere dicebantur in fronte pedes 3, vel 4, *etc.* Frons etiam significat partem anteriorem agri religiosi sepulcro destinati.

III.

v. 24. *prece?*) Non ego votis meis divitias deos rogavi, sed conjugium tuum. Illae enim et oneri mihi essent, et me in invidiam aemulorum adducent, at inter bona falso recensentur. Tecum paupertate sim contentus mea. Quod si vivere sine te debeam, statim moriar.

p.102.v. 11. *Taenare*) Taenarus Laconiae promontorium, Carystos oppidum insulae Euboeae, loca marmore pretioso celeberrima.

IV.

p.103.v. 4. *Dii meliora ferant....*) Dii mihi suis oraculis meliora nuntient. Dii vera loquantur. Insomnia decipiunt.

v. 9. *Tuscis*) Etrusci haruspicina celebres.

p.104.v. 4. *videt*) Versus ab interpretibus vexatus. Pro *videt* aliqui legunt *fuit*. Sensus tamen est: Forma Apolliuis, quae mihi in somnis adstitit, ita pulchra fuit, ut esse non potuerit Iusus imaginum dormienti familiaris, sed ducenda sit divina et coelestis.

v. 18. *felices*) Facile ac feliciter fluentes, non jam fausti et prosperi.

p 105.v. 17. *avena*) Avena perlucens, idem est ac tenuis, nam tenuia perlucent.

V.

p.106.v. 9. *unda*) Aquae in Etruria sulphure abundantes ideoque non adeundae aestuante coelo. Adeundae vero tempore hoc veris. Sunt enim ita salubres, ut proximae sint Thermis Bajanis; idest post Thermas Bajanas omnium saluberrimas, ceteris praeferendae.

v. 13. *At mihi Persephone....*) Proserpina, inquit, mihi mortem minatur; at parcas, diva, mihi juveni, non enim ego in vulgus protuli mysteria matris tuae Cereris. Erat enim maxime nefarium et sacrilegum arcana Cereris patefacere.

v. 25. *Natalem nostri....*) Fortasse totum hoc distichon Tibulli non est: certe versus alter huc ex Ovidio Eleg. 10, l. 4 Tristium translatus. Lacunam exhibent optimi codices.

VI.

p.107.v. 17. *Candide Liber ades.....*) Amatoris desperati, et remedium sibi io vino quaerentis miris modis affectiones exprimuntur. Nam modo Neaerae valedicit, modo eandem rursus deperit.

v. 19. *pariter medicande*) Amator scilicet etiam tu.

p.108.v. 12. *Cadmœae matris*) Agave Cadmi filia mater Penthei. Pentheus contemserat sacra Bacchi. Agave dum inter Bacchantes per silvam discurreret caput filii gladio abscidit visa sibi aprum videre.

v. 27. *flevisti*) Tu quoque Ariadna flevisti ob perjurium Thesei, ut cecinit Catullus; quid mirum si ego fleam ob perjurium Neæræ. Non amplius flebo. Socii bibamus. Carmen 1. ex libro iv.

p.109.v. 1. *Te, Messala, canam*) De hac Tibulli seu Messalae laudatione varia inter eruditos quæstio. Judicant sapientiores Tibullo revera carmen hoc adscribendum. Nihil est in hoc carmine quod latinitatem non sapiat. Forma vero carminis, nitor et nativa simplicitas si ab ingenio Tibulli et Elegiarum stilo abscedunt, nec produnt Tibullum jam virum, jam Poetam maturum, et perfectum, produnt tamen Tibullum juvenem et infirmis quidem viribus, ut ipse sit, at viribus semper Tibullianis. Nos in hanc sententiam descendimus. Quisque judicet ex sensu suo.

v. 5. *conditor*) Idem ac scriptor.

v. 10 *Cres*) Cres dux Cretensium, qui Apollini ab occiso Pythone revertenti munera obtulit.

v. ult. *Icarus*) Icarus Erigones Pater. Is Bacchum hospitio excepit, doctusque a Baccho vites colore vinum pastoribus propinavit. Hi cum ebrii venenum id esse putavissent Icarum interfecere. Canis ululans, id Erigonae monstravit. Erigone se necavit suspendio. Bacchus Icarum (qui est Arcturus), Canem (seu Caniculam), Erigonem (id est Virginem) inter sidera transtulit.

p.110.v. 3. *Molorcheis*) Molorchus vinitor Herculem hospitio excepit, quum ad Nemæei Leonis occisionem proficisceretur.

v. 13. *aether*) Aetherem seu ignem ex tenuissimis seris particulis conflari veteres opinabantur.

v. 23. *index*) Titulus, Inscriptio sub imaginibus posita.

p.111.v. 20. *Nam Ciconumque....*) Describit errores Ulixis loco sane minime opportuno. Ulixes vicit Ciconas Thraciae gentem. Transiit per Lotophagos, qui comedebant herbam Loton suavissimam, et oblivionem patriae exteris inducentem. Eruit oculum ebrio Cyclopi, et cetera satis nota egit.

p.112.v. 18. *cervos*) Cervi, valli, furcillae a similitudine cervinorum cornuum.

p.113.v. 3. *seu sit opus quadratum*) Facit variam pugnae faciem, ut ipse appellat. Primo, *Quadratam* simplicem, fronte recto: secundo, *Duplicem*, utroque cornu: tertio, *Junctam*, quam capiebam *Triplicem*, alia scilicet ad duas juncta; nam sic fiebat, quod hic dicitur, ut dextera sua miles qui in laevo est sinistram medii aspiciat, sinistra sua, qui in dextro ejusdem medii dextram: consule de re *mil. Scrip.* Sed remorator, aut potius revocat, quod sequitur: *sitque duplex gemini victoria casus*. Ita enim non duplex, sed triplex e triplici acie victoria sit et casus. An *Junctam* igitur intellegit subjunctam et duplicatam, de qua diximus? ut acies aciei sit supposita? Hoc opinor, et utrobique sane dextera sua sinistram appositi cornus cornu aspicit, et contra. Nec mihi displiceat etiam scribi: *duplicem sejunctum cernere Martem*. Ut duas modo posituras nominet, Quadratam simplicem, indivisam: Et hanc abjunctam, in duo cornua: facili ita sententia.

v. 4. *rectus ut aequatis* ....) Ita Seneca. *Idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, et aut in cornua, sinuata media parte, curvatur, aut recta fronte explicatur*. Haec locum Tibulli omnino declarant.

v. 11. *Pannonios*) Pannonii praelio fusi se se in alpium juga receperant.

v. 23. *Amythaonius*) Vates summae auctoritatis Amythaonis filius, Biantis frater.

v. 24. *Nam modo fulgentem* ....) Indicat Messalae Consulatum.

p.114.v. 13. *Gyndes*) Gynden fluvium exuberantem dum Cyrus vado transire vellet, undarum vis equum regium currum trahentem alio transtulit. Indignatus Cyrus bellum flumini indixit, et ingenti opere ac labore militum fluvium in ramos, et rivulos divisum siccum reliquit.

v. 17. *Padaeus*) Padaei Indiae populi aegros occidebant, eorumque caroibus vescebantur.

v. 22. *invictus Romano Marte Britannus*) Invictus sane adhuc eo tempore. Nam hactenus ne Caesar quidem illos subjugavit. Primus Caesarum Claudius

de illis trimphavit. Cujus rei amplissimum testimonium habes in Catalectorum meorum lib. priora nempa elegantissimos versus a quodam ejus temporis poeta scriptos.

p. 115. v. 24. *Valgius*) T. Valgius Rufus aevo Augusti poeta celeberrimus.

p. 116. v. 16. *Gylippi*) Gylippus Lacedaemonius qui solus missus est contra Athenienses, et solus cepit incenditque naves Atheniensium.

v. 17. *Meleteas*) Homericas. Homerus enim apud Meleten fluvium natus ferebatur.

v. 23. *tamen mutata figura*) Alludit ad trasmigrationem Pythagorae, de qua Plato sub fin. lib. x. et ult. de LL. ubi Orpheus vitam in corpora Cygni deligit, aversatus humanum corpus odiu muljerum: Thamyras in corpore Philomelae: Ajax Telamonius in corpore Leonis: Agamemnon in corpore Aquilae: Sic Ennius se mutatum in Pavum.

DE VITA SEXTI AURELII

PROPERTII

Sextus Aurelius Propertius floruit post Tibullum eodem quo Ovidius tempore, ante Ovidium tamen sodalem suum defunctus, ut hic testatur lib. IV. *Trist. el.* VI. *Propertius non minorem laudem scriptis elegiis apud Latinos consecutus est quam apud Graecos Callimachus, Cousque Phileias, quos aemulatum esse ipse se praedicat. Cum autem se ipse Umbrum prodat l.* I. *el. ult. sunt tamen qui ex Umbriae civitatibus praeferant* Fulginiam, Trebiam: *alii* Montefalchium, Vectonium, Assisium, Amelium, Cannarium. *Pro Hispello pugnat Thaddaeus Donnola, qui divinationem edidit Fulginiae* MDCXXIX. *Et vide Rufinum Binium Assisinatem; et Scaligerum ad* IV. I. *Quis autem in animum inducet, quod nobilissimo Vulpio persuasum est, Propertium ab Horatio perstringi sub importuni et garruli persona lib.* I. *satyra* IX.! *Conjicit Joannes Massonius in Nasonis vita Propertium obiisse anno aetatis Ovidii* XXXI. *ab U. C.* DCCXLII.

Exstant Propertii lib. IV. *Elegiarum, quibus ipse caelebs Cynthiae adblanditur, Tibullianis non concedentes lepore et elegantia; eruditione vero etiam anteverentes. Elegantissimus Muretus erudite confert inter se in Praefatione in Propertium. Ita de Propertio sentit doctissimus ac summus vir Salmasius de Hellenistica pag.* 142. Propertius totus scatet hellenismis: praeter infinita dicendi genera ex Graeco expressa, non dubitavit dicere Dryasin pro Dryadibus, Thyniasin pro Thyniacis, Hamadryasin pro Hamadryadibus: nec Ovidius timuit Troasin dicere pro Troadibus, in epistola quadam: *Troasin invideo. Hoc exstat judicium Vinc. Gravinae lib.* I. *de arte Poetica:* Properzio ha novità d'espressioni, fantasia veramente Lirica, ed è atto non meno alle cose grandi, che all'amene: ma in Tibullo per avventura è naturalezza maggiore.

Jovianus Pontanus apud Alexand. lib. II. Genial. dier. cap. II. refert Propertii elegias se adolescentulo primum in lucem prodiisse, quum antea inscitia temporum incompertae forent et incognitae; opusque oblitteratum et longissimo aevo absumtum, corrosis et labentibus litteris in cella vinaria sub doliis inventum apparuisse, et cum libelli vetustate verbis et nominibus absumtis longo situ et senio, quod in diurna obscuritate latuerat, veram lectionem assequi nequirent, effectum ut mendosi codices prodirent, paullatimque discuti errores et corrigi coeptos, nec tamen effici quivisse, ut posteris omnino integri inoffensique darentur. Eximiam hujus poetae editionem e MSS. emendatam diligenter et animadversionibus eruditis atque ingeniosis illustratam publicae luci dedit Janus Brookusius Amstel. MDCCII. in 4.° ex officina Henr. Westenii, apposito indice omnium vocabulorum. Lucem viderunt Lips. MDLXXXVIII. in 8.° Georgii Treptae Chemniciensis phrases e Tibullo ac Propertio collectae tribus libris.



SEXTI AURELII
PROPERTII
CARMINA

EX LIBRO I.

ELEGIA I.

Nimium luxum, pompamque ornamentorum in Cynthia, sua sponsa, reprehendit; tum, quod per ea naturalis pulchritudo minuitur; tum quod non luxuria, sed pudicitiae fama et conquirendi, et tenendi sint amantes; tum, quod decora sint alia Cynthiae, ingeniique laudes, quibus allicere animos possit.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

Adspice quot submittat hnmus formosa colores,
Ut veniant hederae sponte sua melius:
Surgat et in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias:
Litora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Helaïra soror.
Non Idae, et cupido quondam discordia Phoebo
Eveni patriis filia litoribns.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis onoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes,
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
Uni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi praesertim Phoebus sna carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram:
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.



ELEGIA II.

Nescio quid adversi quum passus esset Propertius, nec minus laetitiae, delitiisque vacare Cynthia in ipso Propertii periculo, violatae amicitiae, perfidiaeque ipsam pulchro, artisque plenissimo carmine arguit.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
 Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo:
 Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines,
 Et longa faciem quaerere desidia.
Nec minus Eois pectus radiare lapillis,
 Ut formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
 Desertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moesta capillis
 Sederat, injusto multa locuta salo.
Et, quamvis numquam posthac visura, dolebat
 Illa tamen longae conscia laetitiae.
Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres,
 Sanguinis et cari vincula rupit Amor.
Nec sic Aesonidem rapientibus anxia ventis,
 Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
 Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Conjugis Evadne seros elata per ignes
 Occidit Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
 Tu quoque uti fieres nobilis historia.

Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
  Cynthia, et oblitos parce monere deos.
Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
  Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labantur flumina ponto,
  Annus et inversas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
  Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
  Per quos saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
  Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem?
  Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
  Et fletum invitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
  O nullis tutum credere blanditiis!

ELEGIA III.

Gallum cujusdam, cui Hylas nomen, amore captum, eumque secum per silvas, fluminumque ripas ducentem monet, ne faciat, Hylaeque Herculei fabulam eleganter, Poeticeque narrat.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
  Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
  Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylae.
Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes;
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio:
Nympharum semper cupidas defende rapinas.
Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin.
Ne tibi sit duros montes, et frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam;
Et jam praeteritis labentem Athamantidos undis,
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum placitis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti juveneis processerat ultra
Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres Aquilonia proles.
Hunc super et Zethes, hunc super et Calais
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.
Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae:
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganti Pege sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Quam supra nullae pendebant debita curae
Roscida desertis poma sub arboribus,

Et circumriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus.
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
  Proposito florem praetulit officio.
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accensae Dryades candore puellae
  Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore.
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitis servabis amores,
  Formosum Nymphis credere tutus Hylan.

ELEGIA IV.

Umbram alterius Galli loquentem inducit, rogantemque militem, qui a L. Antonii partibus steterat, ut sorori suae referat, se in Etruscis montibus ex insidiis ab ignoto hoste occisum periisse.

Tu, qui consortem properas evadere casum,
  Miles ab Etruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques
  Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato possint gaudere parentes,
  Haec soror Acca tuis sentiat e lacrimis,
Gallum per medios ereptum Caesaris enses

Effugere ignotas non potuisse manus.
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

ELEGIA V.

Indicat Tullo, quae patria sibi sit, quod genus, atque fortuna.

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepultae
Italiae duris funera temporibus,
Quum Romana suos egit discordia cives:
(Sis mihi praecipue pulvis Etrusca dolor.
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo:)
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.



SEXTI AURELII

PROPERTII

CARMINA

EX LIBRO II.

ELEGIA I.

Maecenati se excusat, quod ingenium suum ad argumenta graviora non applicet: res ludricas solas esse quae ipsum reddant Poetam,

Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut coelo Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas. et benefacta Mari.

Bellaque, resque tui memorarem Caesaris: et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae:
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
Et Ptolemææ litora capta Phari:
Aut canerem Aegyptum, et Nilum, quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via:
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumta, et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.
Sed neque Phlegræos Jovis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus:
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

ELEGIA II.

Continendi se modum imponere significat, et jam tempus esse dicit res a Caesare Augusto praeclare gestas carmine heroico celebrandi.

Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Haemonio jam dare tempus equo.

Jam libet et fortes memorare ad proelia turmas,
  Et Romaoa mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
  Laus erit. in magnis et voluisse, sat est.
Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.
  Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili jam carmine. sumite vires
  Pierides. magni nunc erat oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho.
  Et domus intactae te tremit Arabiae.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra seqnar vates: tua castra canendo
  Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nuuc inopes laudis conscendere carmen,
  Pauperibus sacris vilia tnra damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes,
  Sed modo Permessi flumine lavit Amor.



ELEGIA III.

Serius se venisse dicit detentus inspectione porticus Apollinis, quae ab Augusto Caesare absoluta est. Haec porticus templo Apollinis Palatini cum Bibliotheca Graeca et Latina adjuncta erat.

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
  Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis:
  Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
  Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis
  Quatuor artifices vivida signa boves.
Tum medium Clario surgebat marmore templum,
  Et patria Phoebo carius Ortygia:
Auro Solis erat supra fastigia currus,
  Et valvae Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
  Altera moerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem
  Pythius in longa carmina veste sonat.





SEXTI AURELII
PROPERTII
CARMINA

EX LIBRO III.

ELEGIA I.

Graecorum Poetarum Elegiarum scriptorum umbras invocat Propertius, ut annumeretur inter Poetas elegiacos: inde seipsum commendat quippe qui primus Latinus Elegias excoluerit, unde sibi nomen immortale auguratur.

Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
  Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat Phœbum quicumque moratur in armis.
  Exactus tenui pumice versus eat.

Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae:
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici foenore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas;
  Majus ab exequiis nomen in ora venit:
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
  Fluminaque Haemonio cominus isse viro?
Idaeum Simoënta Jovis cunabula parvi?
  Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis?
  Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
  Troja bis Ætæi numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
  Posteritate suum crescere sentit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
  Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro
  Provisum est, Lycio vota probante deo.

ELEGIA II.

Somnium narrat poeta; visus enim erat sibi in Helicone Musarum monte dormire, quum Heroico carmine bella scribere meditaretur, a Phaebo admonitum se dicit, ut ad elegos se converteret.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
  Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum
  Tantum operis nervis hiscere posse meis:
Parvaque tam magnis admôram fontibus ora,
  Unde pater sitiens Ennius ante bibit:
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila,
  Regiaque Aemilia vecta tropaea rate.
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
  Cannensem, et versos ad pia vota Deos.
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
  Anseris et tutum voce fuisse Jovem:
Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
  Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti,
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur saepe libellus,
  Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris. medio maxima turba mari est.

Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, et Sileni patris imago
  Fictilis, et calami, Pan Tegeee, tui.
Et Veneris dominae volucres mea turba columbae
  Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.
Diversaeque novem sortitae rura puellae
  Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
  Aptat, et illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum:
  Ut reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis;
  Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praetoria classica cornu
  Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano proelia signo
  Stent, et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
  Saucia moerenti corpora vectet aqua.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
  Ora Philetea nostra rigavit aqua.



ELEGIA II.

Expeditionem, quam Caesar Augustus adversus Orientis populos apparabat, prosequitur poeta, Romanisque armis felicitatem apprecatur.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi fiodere classe maris.
Magna viae merces, parat ultima terra triumphos.
Tigris, et Euphrates sub sua jora fluent.
Sera, sed Ausooiis veoiet proviocia virgis.
Assuescent Latio Partha tropaea Jovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
Et solitum armigeri ducite munus eqoi.
Omina fausta cano. Crassos, cladesque piate:
Ite, et Romaoae coosulite bistoriae.
Mars pater, et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies:
Qua videam spoliis ooerato Caesaris axe,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem Venus: hoc sit in aevum,
Ceruis ab Ænea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Me sat erit media plaudere posse via.



ELEGIA III.

Se juvenili aetate otio, rebusque ludricis operam daturum; suscepturum graviora, et Philosophica studia, quum vergere ad senectutem inceperit.

Pacis Amor Deus est, pacem veneramur amantes.
  Stant mihi cum domina proelia dura mea:
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
  Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo.
  Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
  Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem
  Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris.
  Consule cum Mario capte Jugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
  Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
  Musarumque choris implicuisse manus.
Me juvat et multo mentem vincire Lyaeo,
  Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam Venerem gravis interceperit aetas,
  Sparserit et nigras alba senecta comas:

Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores,
  Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit: unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
Unde salo superant venti: quid flamine captet
  Eurus, et in nubes unde perennis aqua.
Si ventura dies mundi quae subruat arces,
  Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
  Solis et atratis Inxerit orbis equis.
Cur serus versare boves, et plaustra Bootes:
  Pleiadum spisso cur coit imbre chorus:
Curve suos fines altum non exeat aequor,
  Plenus et in partes quattuor annus eat.
Sub terris si jura deûm et tormenta Gigantum:
  Tisiphones atro si furit angne caput.
Aut Alcmaeoniae furiae, aut jejunia Phinei:
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo jugera pauca novem.
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
  Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi. Vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

ELEGIA IV.

Paeti cujusdam immaturam ex naufragio mortem deplorat, simulque avaritiam exsecratur, malorum omnium inter homines caussam.

Ergo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es:

Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes:
  Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
  Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non justa piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae.
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
  Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
  Quae natat Argyni poena natantis aqua.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides:
  Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
  Paetum sponte tua vilis arena tegas.
Ut, quoties Paeti transibit nauta sepulcrum,
  Dicat: et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvae, et leti quoque texite causam,
  Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas,

Naturae miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunque paras: haud ulla carina
Consenuit: fallit portus et ipse fidem.
Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Caphareа puppes,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est.
Paullatim sociûm jacturam flevit Ulixes,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva penates,
Pauper at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae,
Et duro teneras laedere fune manus.
Sed thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi
Effultum pluma versicolore caput;
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor;
Di maris, Ægaei quos sunt penes aequora, Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput;
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser, Alcyonum scopulis adfigar acutis.

In me caeruleo fuscina sumta deo est.
At saltem Italiae regionibus evehat aestus.
Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus:
Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso supponere brachia mento.
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, numqnam mea vela videbis.
Ante fores dominae condar oportet iners.

ELEGIA V.

Maecenati sollicitanti Propertium, ut Epica scriberet, Poeta se excusat; tum ipsius Maecenatis exemplo, qui intra equestris ordinis gradum sese continuit semper; tum ex sui ingenii tenuitate minus ad grandiora idonei.

Maecenas eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam:
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, qnod nequeas, capiti committere pondus;
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur una jugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi jactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:

Parrhasius parta vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno;
Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.
Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigae,
Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis.
Naturae sequimur semina qnisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
Tempore tâm faciles insinuentur opes:
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
Judicia, et venies tu quoque in ora virûm.
Caesaris et famae vestigia juncta tenebis.
Maecenatis erunt vera tropæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, neç semper proelia clade pari:
Nec referam Scæas, et Pergama Apollinis artes,
Et Danaûm undecimo vere redisse rates,
Moenia quum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus arcis equus.

Inter Callimachi sat erit placnisse libellos,
  Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis.
Haec curent pueri, haec curent scripta puellae,
  Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, coeloque minantem
  Coeum, et Phlegraeis Oromedonta jugis:
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
  Ordiar, et caeso moenia firma Remo:
Eductosque pares silvestri ex ubere reges.
  Crescet et ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
  Parthorum astutae tela remissa fugae:
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
  Antonique graves in sua fata manus.
Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae,
  Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis: et a te est
  Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

ELEGIA VI.

Quo modo velit natalem sponsae suae diem celebrari, eidem exponit.

Mirabar quidnam misissent mane Camoenae
  Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
  Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,

Et Niobae lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis:
Increpet absumtum nec sua mater Ityn.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, et poscentes justa precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Inde coronatas ubi thure piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo:
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera verba tuae.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos:
Publica vicinae perstrepat ara viae.
Annua solvamus thalamo solemnia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

ELEGIA VII.

Quod arbitrio Cynthiae vitam ipse suam degat, admirandum non esse docet, allatis eorum exemplis, quibus feminae imperitarint, Cleopatrae praesertim, quae Antonium ad bellum contra Romanos movendum induxit.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius praesagit navita noctem:

Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita jactavi verba juventa:
  Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
  Egit, et armigera proelia sevit humo:
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
  Mæotis Danaûm Penthesileæ rates.
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
  Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formae processit honorem,
  Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in adversum immissi per moenia currus
  Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
  Jussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
  Juppiter infamat seque suamque domum.
Quid? modò quae nostris opprobria vexerat armis,
  Et famulos inter femina trita suos,
Conjugii obscoeni precium Romana poposcit
  Moenia, et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
  Et toties nostro Memphi cruenta malo.
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos,

Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine inusta nota,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi;
Foedaque Tarpejo conopea tendere saxo,
Jura dare statuas inter et arma Mari.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris:
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Hannibalis spolia, et victi monumenta Siphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
Admisso Decius proelia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes.
Est cui cognomen corvus habere dedit.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant:

Vix timeat salvo Caesare Roma Jovem.
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
  Et modo Pompeja Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
  Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu sive petes portus, seu, navita, linques,
  Caesaris in tuto sis memor Ionio.

ELEGIA VIII.

Postumum Æliam Gallam deserentem uxorem suam, ut militaret, graviter objurgat, et avaritiae ei crimen exprobrat.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?
  Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
  Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari;
  Et quisquis fido praetulit arma toro.
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
  Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Haec tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
  Ferreus aurato neu cataphractus equo.
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
  Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla:
  Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
  Quum sit luxuriae Roma magistra tuae?

Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes:
Non illi longae tot nocuere morae:
Castra decem annorum, et Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.
Et Circae fraudes, lotosque, herbaeque tenaces,
Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas;
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phoebo filia Lampetie)
Et thalamum Ææae flentis fugisse puellæ,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies.
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum;
Sirenum surdo remige adisse lacus.
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra: quia casta domi persedcrat uxor,
Vincet Penelopes Ælia Galla fidem.

ELEGIA IX.

Luxum, divitiarumque cupiditatem Romanarum mulierum, caussam earum levitatis ac perfidiae, cum Indicarum nuptarum fide, veterumque simplicitate comparat.

Certa quidem tantis caussa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis;

Et venit e rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum positis stat pia turba comis:
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Conjugium: pudor est, non licuisse mori.
Gaudent victrices, et flammae pectora praebent,
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiae quorum messis, et arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia virgineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis empta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.
Pinus et incumbens latas circumdabat umbras,

Nec fuerat nudas poena videre deas.
Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves.
Dique deæque omnes, quibus est tutela per agros,
  Praebebant versis verba secunda focis.
Et leporem quicumque venis venaberis, hospes,
  Et si forte meo tramite quaeris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:
  Sive petas calamo praemia, sive cano.
At nunc desertis cessant sacraria lucis.
  Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia jura.
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
  Dum petit intonsi Pythia regna dei:
At mons laurigero concussus vertice diras
  Gallica Parnasus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
  Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
  Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
  Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides. neque Ilia quondam
  Verax Pergameis Phoebas habenda malis.
Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
  Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti.
  Experta est veros irrita lingua deos.

ELEGIA X.

Evocatus Tibur noctu a sponsa, iter suscipit: cum quo fato obire velit, exponit.

Nox media, et Sponsae mihi venit epistola nostrae.
Tibure me missa jussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si haec distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum,
In me mansnetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes,
Scironis media si licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras.
Accensas genius praecntit ante faces:
Saeva canum rabies morsus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Quod si certa meos sequerentur funera casns,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma.
Aut humet ignotae cumulus vallatus arenae.
  Non juvat in media nomen habere via.

ELEGIA XI.

Ad Bacchum, cujus ope sperat, se ab amoris aestu liberatum iri, ejusque laudes se celebraturum promittit.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.
  Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
  Curarumque tuo fit medicina mero.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
  Lyncibus in coelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
  Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
  Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
  Quos carpant nullae, me vigilante, ferae:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
  Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te, et tua cornua, vivam,
  Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Ætnaeo fulmine partus,

Indica Nysaeis arma fugata choris:
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum:
Pentheos in triplices funera grata greges:
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
Io vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam beneolenti flumine Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum:
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Laevis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

ELEGIA XII.

Marcelli immaturam mortem, quam aquis Bajarum adscribit praeter omnem historiae auctoritatem, deplorat, eamque inevitabilem omnibus esse asseverat.

Plausus ab umbroso qua alludit Pontus Averno
 Fumida Bajarum stagna tepentis aquae;
Qua jacet et Trojae tubicen Misenus arena,
 Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic ubi, mortales dextra quum quaereret urbes,
 Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc invisae magno cum crimine Bajae,
 Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
 Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
 Mater, et amplexum Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
 Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus.
 Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
 Stantiaque in plausum tota theatra juvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
 Gemmea sint Indis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes: huc primus et ultimus ordo.
 Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
 Scandenda est torvi publica cymba senis.

Ille licet ferro cautus se condat, et aere;
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nivea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae:
Qua Siculae victor telluris Claudius, et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

ELEGIA XIII.

Virorum libidinem minus impotentem esse, quam feminarum, docet exemplis a fabulosa historia petitis.

Objicitur toties a te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput:
Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis.
Praebeat hospitio saeva Malea suo;
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci,
Induit abiegnae cornua falsa bovis.

Crimen et illa fuit patria succensa senecta,
  Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
  Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
  Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa venundata, Scylla, figura,
  Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
  Nise, tuas portas fraude recludit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
  Pendet Cretæa tacta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.
  Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

ELEGIA XIV.

Ut sese longo et importuno amore liberet, Athenas proficisci statuit daturus studiis operam, amicisque, et Cynthiae suae valedicit.

MAGNUM iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
  Ut me longa gravi solvat amore via.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
  Possit: at ex omni me premit ille deus.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
  Remorumque pares ducite sorte vices:
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
  Jam liquidum nautis aura secundat iter.

Romanae turres, et vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus quum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua;
Quod superest sufferte pedes, properate laborem
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me littora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales.
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae, seu magis aere manus:
Aut spatia anuoi uoi, aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato non turpi fractus amore:
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

ELEGIA XV.

Tullo, qui per plures annos domo abfuerat, Italiae Romaeque prae reliquis regionibus, urbibusque laudes refert, ut idem reditum maturare in patriam pergat.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,

Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindyma ubi Argivæ sunt templa sacrata Cybebæ,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos. -
Si te forte juvant Helles Atamantidos urbes,
Et desiderio, Tulle, movere meo:
Tu licet aspicias coelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros:
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae:
Et si quadrigae visenda et ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:
Omnia Romanae cedent miracula terrae.
Natura hic posuit quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae;
Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et aeternum Martius humor opus:
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis. Ausonias, Phoebe fugate, dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parante suo.

Penthea non saevae venaotur in arbore Bacchae,
Nec solvit Danaas subdita cerva rates;
Coroua nec valuit curvare in pellice Juoo,
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Scinis, et non hospita Graiis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, pareos, haec est pulcherrima sedes;
Hic tibi pro digna geote petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla oepotum
Spes, et venturae conjugis aptus amor.

ELEGIA XVII.

Tabellae, quas amatori suo Cynthia miserat, et quibus solitus erat ad eamdem scribere, amisisse se dolet.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui ooo signatas jussit habere fidem.
Non illas fixum caras effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescunque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Me miserum his aliquis rationem scribit avari,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas siquis mihi retulerit, donabitor auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propooe columna,
Et dominum Exquiliis scribe habitare tuum.

SEXTI AURELII

PROPERTII

CARMINA

EX LIBRO IV.

ELEGIA I.

Fingit, se hospiti cuidam astrorum perito origines et celebriora urbis Romanae loca indicantem, ab eodem admonitum ne ab Elegiaca ad Epicam poesim deflecteret.

Hoc quodcumque vides, hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis, et herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,
Evandri profugae procubuere boves.
Fictilibus crevere Deis haec aurea templa:
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.

Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi in prato saepe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro:
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto lustra novatur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,
Unde Lioens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant usta prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo:
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni,
Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et qui nunc nulli maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens albae suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus,
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti Troja penates;
O quali vecta est Dardana puppis ave?

Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi;
Quum pater in oati tremolus cervica pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc aoimi veoere Deci, Brutique secures,
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojae,
Felix terra suos cepit, Iule, Deos.
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibillae
Dixit Aventino rura piaoda Remo.
Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum Danai, male vincitis: Ilia tellus
Vincet, et huic cineri Juppiter arma dabit.
Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus,
Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moeoia namque pio conor disponere versu:
Hei mihi quod nostro est parvus in ore sonus.
Sed tamen exiguo quodcumque pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes siquis ceroet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus, date candida cives
Omina, et incoeptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, et cognomina prisca locorum,
Has meus ad metas sudet oportet equns.

Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
  Non sunt a dextra condita fila colo.
Aversis charisin cantas: aversus Apollo:
  Poscis ab invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; haud ego vates
  Nescius aerata signa movere pila.
Me creat Archytae soboles Babilonius Horos,
  Horos, et a proavo ducta Conone domus.
Dii mihi sunt testes, non degenerasse propinquis;
  Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere Deos, et fallitur auro
  Jupiter. Obliquae signa iterata rutae,
Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
  Et grave Saturni sidus in omne caput,
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
  Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua,
Dicam. Troja cades, et Troica Roma resurges,
  Et maris et terrae longa sepulcra canam.
Dixi ego cum geminos produceret Arria natos,
  (Illa dabat natis arma vetante Deo)
Non posse ad patrios sua pila referre penates:
  Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
  Heu sibi prolapso non bene cavit equo!
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
  Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri duo funera matris avarae!
  Vera sed invito contigit ista fides.
Idem ego quum Cynarae traherent Lucina dolores,
  Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junoni votum facite impetrabile, dixi,

Illa parit. libris est data palma meis.
Hoc ocque arenosum Libyci Jovis explicat antrum!
Aut sibi commissos fibra locuta Deos.
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbra oeque haec magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est coeli, versusque per astra
Trames: et a zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit: Calchas oamque Aulide solvit
Ille beoe haereotes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Daoai. tu diruta fletum
Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit igoes,
Et natat exuviis Graecia pressa tuis.
Victor Oilide rape nuoc, et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hacteous historiae. ouoc ad tua devehor astra.
Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriae taogitur ora tuae?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, et in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua quum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris, et ante Deos libera sumta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
  Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra:
  Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam blandis duram patiere sub armis,
  Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
  Eludet palmas una puella tuas.
Et bene cum fixum mento decusseris uncum,
  Nil erit hoc: rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis,
  Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt
  Limina: persuasae fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
  Vel licet armatis hostis inermis eas.
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum:
  Octipedis cancri terga sinistra time.

ELEGIA II.

Vertumnum, antiquissimum e Tuscia deum inducit loquentem, et caussam, cur hoc fuerit nomine appellatus, proprietatesque suas explicantem, aliorumque de se disseminatos errores refutantem.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, Tuscis orior; nec poenitet inter

Proelia Volsanos deseruisse focos.
Haec me turba juvat: nec templo laetor eburnos
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat: et ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcumque voles, verte, decorus erō.
Indue me Cois, fiam non dura puella:
Meque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno:
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et (memini) laudabar in illis:
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites, at quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumpta

Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor, et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, et junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi quod formas unus vertebar in omnem,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti praemia Thuscis,
Unde hodie vicus nomina Thuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati;
Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias divum sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: haec spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus,
Unum opus est, operi non datur unus honos.

ELEGIA III.

Nomine Arethusae, sub quo Galla forsitan, aut matrona Romana alia latet, ad sponsum suum diutius militiae caussa absentem elegantissima, et mira affectuum omnium varietate condita Epistola.

Haec Aretusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis.
Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meae dextrae jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munitus Sericus hostis equo;
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoo decolor Indus equo.
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas;
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocnq:
Aeternusquae tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Diceris et macie vultum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.

At mihi quum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere palliá lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera ducta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et haec docti sit positura dei;
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror curis; et callida nutrix
Dejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galeâ barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis:
Essem militiae sarcina fida tuae.
Nec me tardarent Scythiae juga, quum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; sed aperto in conjuge major.
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque suas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent? raris assueta Kalendis
Vix aperit clausos una puella Lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una tori.

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
 Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
 Seu voluit taogi parca lucerna mero:
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
 Succioctique caleot ad nova lucra popae.
Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
 Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortae sparguntur pondera fundae,
 Subdolus et versis iocrepat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
 Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Iocorrupta mei cooserva foedera lecti.
 Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque quum tulero portae votiva Capenae
 Subscribam, *Salvo grata puella viro*.

ELEGIA IV.

Tarpejae historiam; ejus amores erga Tatium Sabinorum Regem; Capitolii proditionem; mortem denique ingeniose describit.

Tarpejum nemus, et Tarpejae turpe sepulcrum
 Fabor, et aotiqui limioa capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso conditus aotro,
 Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
 Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit aceroo,
 Fidaque suggesta castra coronat humo.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja deae fontem libavit, at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.
Obstupuit regis facie, et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa immeritae caussata est omina Lunae:
Et sibi tingendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tatî.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua Tarpejâ residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
Dum captiva mei conspicer esse Tatî.
Romani montes, et montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus ille meos in castra reportet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum, in patrios Scyllam saevisse capillos?

Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet: non quem sine matris bonore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
Sic hospes, pariamne tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape, et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptae,
Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenæe modos: tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem;
Ipsaque in Oceanum sidera lassa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quæram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, et incerto permisit brachia somno.
Nescia se furiis accubuisse novis.

Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
  Culpam alit, et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
  Strymonis abscissos fertur aperta sinus.
Urbi festus erat, dixere Parilia patres.
  Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Quum pagana madent fercula deliciis.
Quumque super raros fœni flammantis acervos
  Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem.
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
  Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos. sed Juppiter unus
  Decrevit pœnis invigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem:
  Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
  Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
  Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
  O vigil, injustae praemia sortis habes.

ELEGIA V.

Actiacam Augusti victoriam, auspiciis Phoebi reportatam, Cleopatrae fugam, mortemque magnifico carmine celebrat.

Sacra facit vates, sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Serta Philetеis certent Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date, et blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes; alio sint aere noxae:
Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Juppiter, ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Julææ pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus. stetit aequore moles
Pinea, nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter apta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus;

Armorum radiis picta tremebat aqua.
Quum Phœbus linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppim super; et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyrae.
Sed quali aspexit Pelopejum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait, O longa mundi servator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite major avis:
Vince mari, jam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae te nunc vindice freta
Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent, proh turpe! Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centauros saxa minantes,
Tigna cava, et pictos experiere metus.
Frangit, et attollit vires in milite caussa:
Quae nisi justa subest, excutit arma pudor:
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus.

Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas.
Sceptra per Jonias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Caesar ab astro,
Sum deus; et nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba mala nixa fugaci,
Hoc unum jusso non moritura die.
Dii melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias?
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditaeque fluant per mea colla rosae:
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis.
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros,
Cepheam hic Meroen, fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum foedere Parthum:
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas,
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

ELEGIA VI.

Apparuisse sibi jam defunctae Cynthiae suae umbram, conquestamque graviter, quod funus suum neglexisset, quodque ingratum sese ostendisset sibi, tum quaedam mandata dedisse.

Sunt aliquid manes: letum non omnia finit:
Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Marmor ad extremae nuper humata viae:
Quum mihi somnus ab exequiis penderet amaris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethæus triverat ora liquor.
Spirantisque animos, et vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
In te jam vires somnus habere potest?
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Laesit et abjectum tegula curta caput.
Foederis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit hiantes.
Unum impetrassem te revocante diem.
Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; ac illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meæ?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, et fracto busta piare cado?
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae.
(Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
Dicet damnatas ignea testa manus:
Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum;
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminumq; canem: sic mihi molle sonet:
Me servasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, unaque Cressæ
Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaq; æra rotunda Cybebes,

Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque, et Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant historiae pectora nota suae.
Haec sna maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores.
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris:
Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usn,
Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi. laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripae laus, Aniene, tuae.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Quum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur. Nox clausas liberat umbras,
Errat et abjecta Cerberus ipse sera.

Luce jubent leges Lethaea ad stagna reverti.
  Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo.
  Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Haec postquam querula mecum sub voce peregit,
  Inter complexus excidit umbra meos.



ELEGIA VII.

Corneliam Paulli Aemilii Censoris uxorem immaturo obitu defunctam inducit maritum suum consolantem, suamque caussam perorantem apud inferos, eo sententiarum, verborumque splendore, ut se ipsum Poeta hac quidem in Elegia superasse videatur.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum.
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem furvae deus audiat aulae,
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos. ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit? aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
Et quaecunque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det Pater hic umbrae mollia jura meæ.
Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila.
Assideant fratres. juxta Minoia sella, et

Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces. taceant Ixionis orbes.
  Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
  Et jaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me. si fallo, poena sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropæa decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exaequat turba Libones,
  Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,
  Vinxit, et acceptas altera vitta cômas:
Jungor, Paulle, tuo, sic discessura cubili.
  In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
  Sub quorum titulis Africa tonsa jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
  Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
  Labe mea vestros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
  Quin et erat magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: siue crimine tota est.
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas:
  Ne possem melior judicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas;
  Turpior adsensu non erit ulla meo.
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybebem,
  Claudia, turritae cara ministra deae:
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,

Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
 In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis,
 Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
 Increpat: et lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
 Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen:
 Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem:
 Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia tu specimen censurae nata paternae,
 Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
 Solvitur, aucturis tot mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
 Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Et bene habet. numquam mater lugubria sumsi,
 Venit in exequias tota caterva meas.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
 Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater, illa meorum
 Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adjice matris.
 Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis;
 Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:
 Somniaque in faciem credita saepe meam,

Atque ubi secreto nostro ad simulacra loqueris,
  Ut responsurae singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
  Sederit et nostro cauta noverca toro:
Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum.
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentns manserit umbra,
  Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam jam nunc sentire senectam,
  Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi dectractum est, vestros accedat ad annos,
  Prole mea Paullum sic juvet esse senem.
Caussa perorata est. flentes me surgite testes,
  Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et coelum patuit: sim digna merendo,
  Cujus honoratis ossa vehantur equis.



IN

SEXTUM AURELIUM PROPERTIUM

NOTAE

ELEGIA I EX LIBRO I

Pag. 129. *v.* 1. *Vita*) Cynthiam suam dehortatur a cultus nimia cura, quod hac minus placitura sit, et quod venustatem nativam sit perditura.

v. 2. *Coa*) Bombycinae vestes in Insula Coo inventae aut textae, subtiles et pellucidae magnum luxus in Romanis feminis argumentum.

v. 3. *Orontea . . . . . myrrha*) Orontea myrrha non quod in Syria nasceretur, sed quia Antiochiam, totius Orientis celeberrimum emporium, deferretur.

v. 4. *Peregrinis*) Externis mercibus et majore luxu exculptam.

v. 5. *Mercato . . . . . cultu*) Naturalem pulchritudinem nimio cultu vel corrumpitur penitus, vel minuitur, quod probat variis exemplis a natura repetitis.

p. 130 *v.* 1 *Submittat*) Producat.

v. 7 *Non sic . . . .*) Exemplis antiquarum heroinarum, quae Deos Heroasque virtute ac pudicitia non fuco et ornamentis in sui amorem duxerint, sententiam probat. De Phoebe et Helaira, Leucippi Filiabus, a Castore et Polluce raptis consule Mythologos.

v. 9. *Non Idae . . . . .*) *Non sic* Marpessa *filia Eveni, patriis litoribus, quondam discordia Idae et cupido Phoebo* hosce sui amatores *succendit*.

v. 12. *Hippodamia*) *Non falso candore* et mercato cultu, ut tu soles, Hippodamia *succendit* Pelopem Phrygium, a quo externis rotis, quia Pelops erat barbarus, curru avecta est.

v. 14. *Apelleis est color*) Color quo naturam ipsam est imitatus et a natura provocavit. Apelles pictor celeberrimus.

v. 17. *Nunc . . . . istis*) Ne sis mihi mi-

nus formosa istis heroinis. Alii autem ita explicant; *nunc ego non vereor ne sis mihi vilior istis* ornamentis exquisitis et peregrinis, praesertim quum placeas mihi uni et possi valeas.

II

p. 131 v. 5 *Hesternos . . . . crines*) Peregrinos et fictitios, ad luxum emptos.

v. 6. *Faciem quaerere desidia*) Longa mora speculum de forma interrogare, seu formam conciliare diu desidendo ac praebendo se se ornatricibus.

v. 9. *Ut formosa*) Ut sponsa quae parat ire ad novum maritum.

v. 12 *Injusto . . . . salo*) Conquerens multis verbis de mari *iniquo*, quod Ithacum abstulisset.

v. 15 *Alphesiboea . . . . . .*) Exemplis antiquarum heroinarum, quae constantes fuerint in amando, Cynthiae levitatem conatur demonstrare. Quid fecerint Alphesiboea, Hypsipyle et Evadne ob amoris constantiam consulendi Mythologi.

v. 20 *Ut semel . . . . . . tabuit*) Postquam Jasonem Haemonium hospitem amissum dolens ac tabescens indoluit.

p. 132 v. 5 *Muta prius*) At e contra se diversum pollicetur si quid sinistri Cynthiae suae obtigerit. Alii legunt: *Multa prius . . . . labentur*, id est e mari recurrent ad fontem.

v. 9 *Quamve mihi viles*) Quanto contemptu ipsos habeam oculos, quibus perfidiam tuam perspexi.

III

v. Ult. dixerit Ascanius) Ascanius infensus Mysiis erit testis hujus rei. Ex flumine Ascanio fuisse videntur Nymphae quae rapuerunt Hylam.

p. 133 v. 2 *Thiodamanteo*) Callimachum et Apollonium sequitur, qui Hylam Thiodamantis filium faciunt: alii enim aliter.

v. 3 *Sive lages*) Hoc est, sive praetervehens lintre flumen aliquod, quod per medias silvas labitur.

v. 4 *Aniena*) Pulcherrimus tractus lacus Vadimonis.

v. 5 *Gigantea . . . . ora*) Maritima regione juxte Cumas. Ibi enim Phlegraeus campus: et illic Gigantes habitasse dicuntur.

v. 15 *Pagasae*) Lacus in ora Magnesiae xx. stadiorum spatio ab Iolco dissitus.

v. 15 *Athamantidos*) Athamantis, Helle, Athamantis et Nephelos filia.

v. 16 *Mysorum scopulis*) Mysia regio est Asiae, finitima Phrygiae et Bithyniae.

v. 19 *At comes invicti juvenis*) Hylas Herculis minister.

v. 21 *Aquilonia proles*) Aquilo ex Orithya filios suscepit, Zeten et Calain. Hi cum Argonautis profecti suot ad vellus aureum. Mox vocat *Genus* Orithiae.

v. 27 *Jam Pandioniae*) Pandion Erichtonii filius, pater Erechthei, cujus filia Orithya.

v. 29 *Pege*) Pege fons nempe scaturiens ex monte Arganthο; circa quem fontem et arbores erant pomiferae, et ripae floribus pictae.

v. 30 *Nymphis Thyniasin*) Thyniades Nymphae, pro Bithynicae: nam ea regio Thynia a Thynio Aganthones Nymhae filio dicta est.

p. 154. *v.* 9 *Dryades*) Apollonius narrat, Nymphas, quae vertices montium et antra incolunt, convenisse ad spectandum Hylam.

IV

v. 17 *Tu qui consortem . . . . .*) Gallus quidam, Propertio carus, et cognatione conjunctus, quum ex Perusino bello, in quo pro Antonianis partibus contra Caesarem steterat, evasisset incolumis, in Apennini jugis, a latronibus occisus, sine honore sepulchri jacebat. Umbram vero hujus militem quendam saucium domuitionem parantem perque ea locs transeuntem inducit admonentem, primo ut caveat sibi, ne in fatum idem incidat; deinde, ut de calamitate sua Accam sororem certiorem faciat, a qua reliquiae corporis extremo pietatis officio tumulentur.

ELEGIA I. EX LIB. II.

p. 156. *v.* 1 *Maecenas . . . . . .*) Maecenas Propertium

excitabat ut amatoriis lusibus vale dicto ad heroica stylum converteret. Ille vero se imparem Epico carmini profitetur.

v. 3 *Non ego Titanas canerem*) Non canerem, si valeret ingenium, bellum Gyganteum.

v. 5. *Pergama nomen Homeri*) Nec bellum Trojanum canerem, unde Homero fama ingenti quaesita est.

v. 7. *Xerxis et imperio bina coisse vada*) Regis Persarum nutu juncta ponte duo litora Hellesponti.

v. 8 *Regnave prima Remi*) Originem urbis Romae.

ibid. *Animos Carthaginis altae*) Ingentes spiritus Carthaginensium.

v. 10. *Cimbrorumque minas*) Animos immanes Cimbrorum, Teutonumque.

p. 137 *v.* 3. *Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos*) Ait Poeta, sive de bellis aliis, sive de eo ad Mutinam esset acturus, ubivis MAECENATEM sibi occurrere Augusto adjungendum, cui tam in pace et bello fidus semper fuerit.

v 5. *Aut canerem Siculae classica bella fugae*) Intelligit bellum Siculum, quo Caesar Augustus Sex. Pompejum superavit.

v. 7. *Et Ptolomaeae litora capta Phari*) Bellum Alexandrinum.

ibid. *Et Nilum, quum tractus in urbem*) In Alexandrino triumpho simulacrum Nili exhibuit Augustus.

v. 12 *Actiaque . . . . . rostra*) Rostra navium captarum in praelio navali ad Actium promontorium.

ibid. *Currere*) Rostra dicuntur currere, quia curribus imposita celeriter veherentur.

v. 14. *Fidele caput*) Caput fidele Maecenatis, seu ipsum Maecenatem vocat Bello siquidem, et paci utilem semper navavit operam Maecenas Augusto.

v. 15 *Theseus infernis*) Insititium, et extra locum positum distichon hoc Vulpio videtur. Sed conjungi cum antecedentibus non inepte fortasse poterit, si, quum antea Poeta dixerit, fidum semper Maecenatem Augusto fuisse, reclamatumque ex aequo ab eodem, tertium hoc par in terris amicorum superesse modo dicat aequiparandum Theseo, et Pirithoo, Achilli, et Patroclo.

v 16. *Ixioniden*) Pirithoum, Ixionis ex Dia filium.

ibid. *Menoetiaden*) Patroclum Menoetii filium.

v. 17. *Sed neque Phlegraecs*) Phlegraeum campum prope Cumas fuisse perhibent, ubi victos a Diis fabulantur Gigantes. Fuit et alter in Thessalia.

II.

v. 24 *Jam tempus lustrare*) Subiratus Cynthiae Poeta pro amatoriis rebus, proelia, victoriasque Caesaris se locuturum significat; hoc ipsi et aetate jam matura suadente, et ejusdem levitate a se reposcente.

p. 158. *v.* 10. *magni nunc erat oris opus*) Ex his tempus deprehendere licet, quo scripta haec sunt. De Parthorum signis redditis, vel jam jam reddendis, de legatione ad Indorum Rege Poro ad Augustum missa, de expeditione in Arabas suscepta, vel decreta mentio hic fit.

III.

p. 159 *v.* 2. *Aperta fuit*) Caesar Augustus ad celebrandam Actiacae victoriae memoriam Templum insigne in Palatino monte Phoebo erexit bibliothecam templo adjunxit, porticusque magnificas columnis digestas, statuis inter columnas positis. Quum porro ad posterorum memoriam pervenerit quo ab U. C. anno templum Apollinis dedicatum fuerit, et populo aperta porticus; notam Cronologicam habemus temporis quoque, quo Elegia haec, seu fragmentum potius Elegiae a Poeta scriptum sit.

v. 4 *Danai femina turba senis*) Inter columnas erant statuae filiarum Danai: contra eas sub dio totidem statuae equestres filiorum Aegypti; ac filiae quidem Danai in ea porticu nuptiali veste stabant.

v. 5. *Phoebo*) Marmoreus Phoebus ita affabre effictus, ut videretur carmen, ore tereti, semihiantibus in conatu labellis, elicere. Nec mirum statuam enim Dei, quam Augustus dicarat, Scopas olim fecerat saxo

Solers nunc hominem ponere nunc Deum.

V. Plin. hist nat. lib. 36., cap. 5.

v. 7. *Myronis*) Plinius ubi de statuariis. *Myronem buccula nobilitavit, celebratis versibus laudata*

v. 11 *Solis . . . . currus*) Deorum imagines, currusque fastigiis summis templorum imponeban-

tur, quae illis erant consecrata. Sic Phoebi currus in culmine visebatur Palatini Templi.

v. ult. Pythius) Sic dictus a Pythone serpente interfecto.

ELEGIA I. EX LIB. III.

p. 140 *v.* 1 *Callimachi*) Sub Philadelpho usque ad Ptolomaeum III. sive Evergetem, claruit Callimachus Cyrenensis.Hymnos, vel Elegias, vel Epigrammata scripsit.

ibid. *Philetae*) Huic secundas partes in Elegia tribuit. Eum its exili corpore fuisse relerunt, ut necesse habuerit pilas plumbeas ad pedes gestitare, ne subverteretur a vento.

v. 3. *Primus ego*) Dicit, se primum inter Romanos, qui Elegos scripserit, ut stylum, formamque Callimachi, ac Philetae imitari ausus sit. Verisaime enim affirmat, se primum exstitisse inter Romanos, non quidem qui Elegiacum Poeseos genus coluerit, sed qui in Elegiaco genere Callimachum, et Philetam expresserit.

v. 4. *Itala per Grajos*) Romano ore ea quae Graecis tantum tractata fuerunt celebrare.

v. 7. *Quicumque moratur in armis*) Longe quippe abire a se jubet eos, qui Phoebum morantur in armis; eos scilicet, qui malebant Propertium ingenii sui vires totas convertere ad canenda proelia, bellicasque res, invita Minerva.

p. 141. *v.* 3. *In curru*) Hanc celebritatem imagine usus triumphi poetice describit, et quemadmodum in more positum erat; ut in eodem cum triumphante curru veherentur vel filii, vel conjunctissimi sanguine; sequerentur autem currum Imperatoris laureati milites, qui ejus ductu, auspiciisque pugnaverant, sic amores in eodem curru erant cum Propertio, qui tam cultos illi versus dictaverant; sequebatur autem Poetarum turba, qui ad ejus imitationem scriptitabant.

v. 5. *Quid frustra missis in me ....*) *Frustra*, inquit Propertius, hunc vobis laborem, contemtionemque sumitis, *lassatis habenis* (*traslatione ab aurigis sumpta*), ut meo

Haerentem capiti multa cum laude coronam

praeripiatis Elegiarum scriptione mihi acquisitam, sed

hac interpretatione recepta, secundus versus cum interrogatione legendus, hoc modo:

Quid frustra missis in me certatis habenis!
Non datur ad Musas currere lata via!

v. 6. *Non datur ad Musas currere lata via!*) Non sunt variae poeseos species, per quas consequi laudem (poeticam) possunt?

v. 7. *Multi*) Erunt quidem, qui Romam augebunt laudibus ex illis, qui Heroicam Poesin hodie colentes ejus victorias, et triumphos canent. Ego vero voluptati honestae Romanorum serviam, Elegiae novam formam inducendo. Sic et gloria illis, mihique ex diverso ingenio.

v. 18. *Fluminaque Haemonio*) Xanthum et Simoenta cum Achille Phthio et Thessalo manus conseruisse. Xanthum obruere Achillem aquis suis conatur, advocato Simoente. Sed Vulcanus eos terret auxilium Herculi ferens.

v. 19. *Jovis cunabula parvi!*) Idam Phrygiae cum Ida Cretae confundunt veteres.

v. 21 *Polydamanta sine armis!*) Recte de Heleno et Polidamante dicit *Sine armis*. Helenus enim vaticinandi arte, non bellica virtute pollens, et Polydamas, tamquam ignavus, ac timidus ab Homero describitur in Iliade.

v. 24. *Exiguo sermones fores nunc*) Quemadmodum Poetae non sinunt urgeri longa nocte, et oblivione deleri rerum gestarum memoriam, heroumque fortium, sed eam posteritati commendat; sic ipsi quoque recentes crescunt postera laude. Primum exemplo Trojae, Trojanorumque ducum probat, qui illacrimabiles, ignotique obruerentur silentio, si caruissent Homero vate. Alterum Homeri ipsius exemplo ostendit, cujus celebritas eo major fit, dum ultra labuntur secula: inde quoque sibi nominis ampliorem famam auguratur.

v. 25. *Troja bis Aetaei numine capta dei*) Ilium a Troja hic separat, quia proprie Ilium, urbs ipsa; regio, Troja.

II.

p. 142. v. 7. *Cecinit Curios fratres et Horatia pila*) *Curios* vocat quos alii *Curiatios*. Nota historia de ter-

geminis Curiatiis et Horatiis, *Horatia pila*, Horatios pilatos; Horatiorum arma et pugnam.

ibid. *Pila*) *Hasta romana, ut gessa Gallorum, Sarisse Macedonum*. Forsan et alludere videtur, ad *Pilam Horatiam*. Ita enim dicta columna, cui impositae erant Curiatiorum spolia.

v. 8. *Tropaea*) Tropaea erant corpora trunca cum spoliis.

v. 12. *Anseris et tutum voce fuisse Jovem*) Id est Capitolium, cui praesidet Jupiter.

p. 143. *v.* 6. *Pan Tegeæe*) *Tegeæus* dicitur, quia Deus Arcadiae, cujus oppidum Tegea vel Tegeum, de Servius vocat.

ELEGIA II BIS

p. 144. *v.* 1. *Deus Caesar*) Apud Romanos divino primus honore, dum viveret affectus et Augustus.

v. 7. *Ite, agite, expertas bello date lintea prorae*) Alloquitur milites Augusti, qui parabant, ut ipse loquitur, *Freta gemmiferi findere classe maris*.

v. 8. *Et solitum armigeri ducite munus equi*) Equum et navem conjungit, ut utramque militiam innuat, terrestrem et navalem.

v. 9. *Omina fausta cano*) Id est bona verba dico, et laeta ac eventura precor, et vaticinor.

III.

p. 145. *v.* 1. *Pacis Amor deus........*) Rationes enim aggreditur reddere Propertius, cur et per aetatem aptus ad militiam, et eo ordine natus, quem militia deceret, arma tamen detrectaret, et vivere mallet in otio.

v. 3. *Inviso .... auro*) Ea porro est, qua homines ad bella amore praedae, et avaritiae trahuntur: qui amor quum in me nullus sit, non est, cur militiam sequi ego debeam. Invisum aurum vocat. Passeratius explicat, Aurum, quod male Propertius oderat. Vulpius, quod oderat, quia a pecuniosis rivalibus excludebatur. *Invisum* pro non adhuc cognito, non adhuc viso, usurpatum fortasse a Propertio est quemadmodum usurpat Cicero in ea, quae De Haruspicum Responsis est, Oratione. Quum autem invaluisset opinio,

Indiam, ceterasque Orientis plagas et gemmis, et auro refertissimas esse; divitiarum ignotarum cupido mentes inflammabat magis, magisque ad bellum tam felicibus populis inferendum: unde ea Horatii sunt lib. 3, Od. xxiv.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum, et divitis Indiae.

Sed Propertius ait, se nulla cupiditate moveri ad earum regionum; quamvis iuvisi, ac propterea, quod magis curiositatem, avaritiamque sollicitaret.

v. 6. *Æra..... tua*) Corinthiacum aes, vasaque ex eo conflata in pretio maximo erant apud antiquos. Quum vero aes hoc ex mixtura exstitisset variorum metallorum, quae fusa fuerant clade illâ, et incendio Corinthi; ideo dicit, se non petere, non parare sibi æra ex Corithiaca clade.

v. 18. *Parca..... die*) Parcam diem intelligimus eam, quae secundum naturae cursum, exque decreto Parcarum finem cuique allatura est vitae.

v. 16. *Juventa*) Ecce cursum vitae, quem sibi instituendum Poeta proponit. Otio, voluptatibusque se totum dedere, dum juvenis est. ex quo colligitur, eum juvenem adhuc fuisse, dum haec scribebat: ingravescente vero aetate, se eam totam Philosophiae studiis trasmissurum.

p. 146. *v.* 5. *Venti*) Ventis agitatur semper mare. Hujus rei caussa quaesiturum promittit. Violentior autem incidere solet navigiis Eurus, ut adnotavit Virgilius quoque in Georgicis. Rationem phaenomeni investigaturum se profitetur, ut et aliorum praeterea multorum Astronomicorum, Physicorumque.

IV.

p. 147. *v.* 4. *Pœtum*) Mors, quae ex naufragio obvenit Pæto, lucrum ex mercatura captanti, materiem praebuit cultissimae huic, et omnibus ingenii luminibus expolitae Elegiae.

v. 20. *Nocturnis..... procellis*) Interpretemur distichon ita. Pæte, tempestate ingruente noctu tempore, navem tuam ad saxa rudentibus alligasti: sed vincula omnia, quibus eam nexuisti, detrita ceciderunt, allisaque ad scopulos soluta navis est tua.

v. 22. *Agamemnonias* .....) Exemplo probat Argym, quam infidum sit mare. Amatus ab Agamemnone adolescens, dum per voluptatem Cephisi aquis natat, abripitur eorum cursu in mare, ibique submergitur. Dum amissum puerum investigat Agamemnon, morasque nectit, ventos caussando, Aulide classis non solvit, et ideo Iphigenia mactata est.

p. 148. *v.* 1. *Naturae* ..... *vias*) Ex eo vehementer in usum navigationis invehitur, quod per eam vias mortis nostrae, quas jam natura aperuerat, augeamus, multiplicemusque, eundo in pelagus, et vocando in nos fata cessantia, ut eleganter Seneca Nat. Quaest. lib. v., cap. XVIII.

v. 9. *Puppes*) Atqui evenit, ut multi felix iter per mare peregerint. Sed id raro vel semel continget, respondet Propertius. In exemplum adducit Graecorum classem, quae quum prospere ad Trojam appulisset, primo itinere; altero, quum inde victrix rediret, partim disiecta, partim submersa est ad Capharea saxa. Ulixem item variis erroribus jactatum ac saepissime infelicem appellat. Sed et illis et hoc longe infelicior Paetas, qui prima statim navigatione vitam amiserit.

v. 19. *Sed thyriae thalamo*....) Sunt qui Legant:
Sed thyriae thalamo, aut Oriciae terebynthi
Effulto pluma versicolore caput
Huic fluctus vivo....

Tunc erit sensus: Non poterat intrepido animo stridentem procellam audire; non poterat teneris manibus nauticos funes adstrictos tenere, qui in cubili aut cedrino, aut ex terebyntho Epirotico (oricos enim Epiri oppidum erat) assueverat somnos ducere at fulcire pulvillis caput pluma versicolore tumentibus.

v. 21. *Abstulit*....) Naufragis ungues a cute resedunt et extremitates tabescunt.

v. ult. Alcyonum scopulis adfigar.) Impingam in scopulos, ubi nidificant Alcyones, ibique haerebo confixus.

p. 149. *v.* 13. *Intra fortunam*) Ex ordine Equestri Maecenas natus, in amicitiam Augusti adscitus, prudentiae famâ celebris, et Quiritibus omnibus carus, oblatos sibi honores constanter respuit, nec ultra Eque-

strem locum procedere voluit; ideo fuisse dicitur *Intra fortunam*; hoc est, longe minora sectatus, quam quae ei offerebat fortuna: quo sensu et Quintilianus dixit, scripta Hortensi *Intra famam* fuisse; et Florus, Cleopatrae pulchritudinem fuisse *Intra pudicitiam* Augusti.

v. 20. *Scribendi*) Stimulabat Maecenas Propertium ad heroica carmina, laudesque Augusti conscribendas, opus par ejus ingenio. Ille primo se excusat, quod lapsurus sit sub onere, si tantum opus attigerit.

v. 26. *Fama nec aequo ducitur*..) Alii ex Epica, alii ex Tragica, ex Lyrica alii, Elegiacaque famam trahunt, prout quis ad hanc potius, quam ad aliam carminum speciem naturâ factus est. Hoc autem et sculptorum et pictorum appositis exemplis illustrat ut inde concludat, se ex Epico carmine laudem assecuturum non esse, quamvis sperare eam possit ex alio quopiam scibendi genere.

v. 21. *Gloria Lysippo est animosa effingere signa*) Lysippum et Clamidem, statuarium utrumque, componit. Uterque ex aere fundebat simulacra; sed in effingendis hominibus excellebat Lysippus, Calamis in bigis, quadrigisque, et equis sine aemulo.

p. 150. *v.* 1. *Parrhasius*...) *Parrhasius primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris; confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus*. *Plin. Lib.* 35. c. 10. At si non principem sibi locum, secundum saltem ab Apelle sibi vindicat in pictura.

v. 3. *Myos*...) In caelatura insignes duo; Mentor ac Mys. Dissimiles tamen inter se. Mys flores tantum, hederarumque et acanthi flexus admirabili subtilitate in poculis vasisque repraesentabat. A Mentore *formae* sunt *addita argumenta*, scilicet ex integro fabulae historiaeque, quae factum aliquod exprimerent.

v. 4. *Phidiacus*..) Phidias inter caetera signa fecit Jovem Olympium ex ebore, quem nemo aemulavit.

v. 5. *Praxitelem*.....) Praxiteles statuarius marmoris gloriâ quosque alios superavit.

v. 6. *Est quibus*....) Hellenismus, in quo verbum singulare jungitur nomini pluralis numeri.

p. 151 *v.* 5. *Te duce*..) Te scilicet jubente, non suadente tantum et admonente: te exemplo vitae mihi, tu

majora aliquando audeam praecipienta.

ELEGIA VI.

p. 152. v. 4. *Felicibus edita pennis*) Bonis avibus, faustis ominibus.

v. 5. *Surge, et poscentes justa precare deos*) Ordo sit hic verborum. *Precare deos poscentes justa*. Natalis enim erat dies Cynthiae. Die natali Genius sibi poscebat vota, preces, sacrificia. Surgat illa ergo; et vota, et sacrificia debita rite persolvat.

v. 6. *Primum somnum*) Primum illud religionis officium, somnum pura lympha discutere.

v. 15 *Perstrepat*) Ita evadebat in conviviis hisce nocturnis commessantium petulantia, atque licentia, ut tota quoque vicinia eorum clamoribus personarent, obtento huic proterviae religionis velo.

VII.

v. ult. *Venturam melius praesagit navita noctem*) Non nisi experientia docentur homines, quae vera sunt. Assiduo maris usu discit navita impendentem tempestatem; et vulneribus, quae accepit, discit miles, quae cautio ipsi sit adhibenda in periculis. Ego quoque amoris adhuc expers, et fervore juventutis deceptus ignavo, desidesque eos esse dicebam, qui non, simul ac vellent, assererent se in libertatem, et a feminae alicujus amore subtraherent. Nunc vero exemplo meo, exemplis aliorum fateri cogor, admodum difficile esse laqueis amoris animum expedire, nec quidvis vel facere, vel pati quod imperet ille.

p. 153. v. 9 *Penthesilea*) Post Medeae exemplum testem impotentiae amoris Achillem producit, qui visam Penthesileam hostem suam omniumque Graecorum perdite adamavit.

v. 16 *Semiramis*) Post Herculis, et Omphales exemplum Semiramis adducitur. Sed quid de illa! Babylonem muro cinxisse; Euphratem per eam medium immisisse; Urbem Bactra exaedificasse; nihil vero de ejus amore. Ad quid ergo affertur Semiramis? Aut fortasse desunt hic aliqua; aut intelligendum est, tam grandia haec effecta a Semiramide non ex virtu-

te, sed ex Nini amore, quo tenebatur. Persarum autem Babylonem appellat Propertius temporum suorum rationem habens: Assyriorum enim fuerat, quum condita a Semiramide fuit.

v. 25. *Opprobria*) Opprobrio Cleopatra Romanis fuit coactis cum femina pugnare, quibus ferocissimae quaeque gentes cesserunt. Nec solum feminam appellat, sed libidine perditam, quae, se famulis quoque suis prostitueret.

v. 31. *Memphi*) Memphin posuit, unam ex potioribus Aegypti urbibus, pro Aegypto ipsa. Cur autem eam vocat cruentam malo Romanorum? Quia et Gabinius multum in reducendo Ptolomaeo copiarum amisit: Cesar Alexandriae obsessus, difficillimoque bello implicatus: Antonius ibidem occisus; interfectus ibi miserum in modum Pompejus post peragratum paene totum Orbem victoria, et trium triumphorum honorem.

p. 154 *v.* 5. *Philippeo sanguine*) E Philippo Alexandri patre genus se duxisse jactare Cleopatra poterat, siquidem, Curtio teste Lib. IX., Ptolomaeo, ex quo Aegypti regea, sanguine conjunctus erat, et quidam Philippo genitum esse credebant: certe e pellice ejus ortum esse contendebant. Sed avos tam illustres traducebat vitae suae licentia, et dementi ambitione Cleopatra, in qua tota Lagidarum gens periit.

v. 9. *Baridos*) Barides erant cymbae, quibus ad sepulturam vehebantur cadavera apud Aegyptios: contis, perticisque subigebantur. Sic appellat Propertius navea classis exurnatae a Cleopatra, indignatioui odioque serviens, non historicae veritati. Revera enim Aegyptiae naves magnae molis erant, turribus, ac tabulatis allevatae, castellorum et urbium specie, quae non sine gemitu maris, et ventorum labore ferebautur. Vere Horatius ad Maecenatem ad bellum Actiarum cum Augusto iturom dixit Epod. I.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula.

VIII

p. 155. *v.* 12. *Postume....*) Postumum castra sectantem

duritiae crimine insequitur ob relictam Gallam uxorem suam. Quae tamen castitate vitae Penelopem ipsam superabit, et reducem virum felix amplectetur haud memor duritiae suae.

v. 18. *Lacernae*) Vestis exterioris genus, qua plerumque milites in castris utebantur. Italice *casacca*, *mantello*.

v. 19. *Araxis*) Fluvius Armeniae Superioris, qui in Caspium exoneratur.

v. 25. *Ferreus . . . . . Cataphractus*) Neu Parthi armis toti muniti gaudeant equo tuo aurato. Milites cataphractari, *armati da capo a piedi*, apud Parthos Sarmatasque maximo in honore habiti.

v. ult. *Luxuriae . . . . . tuae!*) Quum Roma sit magistra luxuriae tuae *Aeliae Gallae*.

p. 156. *v.* 5. *Ulixes . . . . . .*) Gallam constantem et castam futuram cum Penelope comparat, *cui longae morae non nocuere*. De erroribus Ulixis plura apud Mithologos.

v. 14. *Æææ . . . puellae*) De Calypso nymphâ, non de Circe intelligendum ab *Ææâ* insulâ.

IX

v. ult. *Inda . . . . . formica*) Formicae Indicae, animalia Aegypti lupi magnitudine, teste Plin. *Hist. Nat. l.* 11. c. 31. *Erutum ab iis hiberno tempore aurum, quod ex cavernis egerunt terrae, Indi furantur aestivo fervore*. Si verum hoc an fabulosum putandum, lectori relinquimus.

ibid. *metallis*) Metalla pro fodinis ex quibus eruuntur.

p. 157. *v.* 1. *concha Erycina*) Venus culta in Erycine Siciliae monte dicitur e concha prodiisse.

v. 2 *Tyros . . . Cadmea*) Tyrus Cadmea, quia Cadmus Agenoris Tyriorum regis filius fuit. Tyrus conchiliis et purpura praestantissima.

v. 3. *Pastor . . . Arabs*) Ex Arabia omne genus aromatum ac unguentorum.

v. 5. *Icarioti*) O Penelope, filia Icari.

v. 7. *Per ora*) Ante oculos nostros.

v. 10. *Una*) Singularis, quae apud reliquas gentes in usu non est.

v. 16. *Victrices*) Quae uxores vicerint, praebent corpus flammae, et faces suas ut peruruntur.

v. 22. *Cydonia*) A Cidone urbe Cretae mala, quae vocamus cotonea, Graeci Cydonia appellabant.

v. 25. *Lilia . . . . . . lucida*) flore nocturno madentia.

p. 158. v. 2. *Idaei*) Aries reducebat oves saturas in aulam Pastoris Idaei, Paridis in Ida monte degentis.

v. 15. *Petit*) Galli, duce Brenno, Apollinis Delphici templum invasere.

v. 19. *Polidore*) Polidorum, quem Polymestori Thraciae Regi educandum tradiderat Priamus, ob auri cupiditatem Polimeator ipse obtruncavit.

v. 21. *Amphiaraus*) Is ad bellum Thebanum ire recusans, ab Eryphila uxore, accepto monili aureo, proditus, hiatu terrae cum curru absuntus est.

v. 27. *Ilia . . . . . Phoebus*) Cassandra nunquam credita Teucris. Hinc adagium *sero sapiunt Phriges*.

v. 31. *Fuit*) Pro *fuisset*.

X

p. 159. v. 8. *Geminas . . . . . turres*) Arx Tiburtina (*Tivoli*) eminebat *geminis turribus*.

v. 19. *Scironis*) Viam angustam a Corintho ad Megaram ducentem obsidebat quondam Sciron latro famosus, qui viatores exutos in mare praecipitabat. Hinc pro itinere periculis pleno via Scironis.

v. 29 *Adferet*) *Scilicet* Sponsa, ubi interfectus fuero, adferet.

XI

p. 160. v. 17. *Lyncibus*) A Lyncibus feris Baccho dicatis, in Coelum vectam Ariadnam innuit Propertius. Ceteri de corona ejus tantum dicunt.

v. 22. *Arcessitus . . . . somnus*) Ex lege convivii tria pocula Graeci siccabant, quorum primum *sanitatis*, alterum *amoris*, postremum *somni* vocabant.

v. 27. *Tua cornua*) Bacchus pingebatur cornutus, quia et ebrii sumere cornua dicebantur, idest curarum omnium et dolorum oblivisci, novâ quasi felicitatis imagine tumentes.

v. ult. *Dicam*) Laudes et res a Baccho gestas abunde describit, omnia late enarrata a Mythologis reperies.

p. 161. *v.* 14. *Panes*) Fauni, Silvani, Satyri, Sileni comites et ministri Panis, qui omnes capripedes erant.

XII

p. 162. *v.* 6. *Plausus*) Percussus a *plaudor*.

ibid. *Qua*) Quâ *parte*: Bajarum situm describit *Averno*, *Miseno* et *via Herculea* conclusum. *Baja*, urbs Campaniae ad mare sita, calidas aquas ad valetudinem restituendam suppeditabat: *Miseno* promontorio dedit nomen Misenus ille tubicen Æneæ, ibidem sepultus: *Avernus* lacus Plutoni dicatus. *Via* ibidem erat, quam Hercules construxisse ferebatur.

v. 10. *Dextra*) Vi armorum.

v. 11. *Thebano* . . . . *deo*) Herculi Thebis Bœotiae nato.

v. 14. *His pressus*) His pressus aquis Marcellus.

v. 17. *Mater*) Octavia Augusti soror.

ibid. *Caesaris* . . . . *focos*) Fuerat Marcellus insertus in Familiam Augusti per adoptionem.

v. 24. *Attalicas*) Ab Attalo rege Pergami dictus, qui omnes mortales prastiosae hujus suppellectilis magnificentia superavit.

v. 30. *Canis*) Cerberi, Inferorum excubitoris, qui advenientes umbras adpetere dicebatur.

XIII

p. 163. *v.* 19. *Citius sedetur*) Per impossibilia demonstrat ad bonam frugem non redire mulieres, quae quondam libidini et nequitiae se dederint. In testes vero hujus sententiae adducit Pasiphaen, Salmonem, Myrrham, Medeam, Clytemnestram, Scyllam etc. De mulieribus hisce omnibus plura in Fabulis.

XIV

p. 164. *v.* 22. *Magnum* . . . .) Ut immitem amorem vinceret migraturus Athenas, felicibus omnibus auspiciis, vale dicto amicis, iter describit et diversa loca

itineris memorat.

p. 165 v. 6. *Lechaeo*) Lechaeum est portus urbis Corinthi.

v. 9 *Isthmos*) Corinthiaci, idest Corinthus inter Ægaeum et Jonium in angusto terrae intervallo sita; hinc ab Horatio l. 1 od. 7 appellatur *bimaris*.

v. 11. *Theseae*) Longos Muros consilio Themistoclis ab urbe ad mare usque dissitos spatio XL stadiorum. Via Thesea dicta est, quod Theseus latronibus hanc purgavit.

v. 16. *Librorumque tuos*) Idest *sales* Librorum tuorum.

v. 18. *Manus*) Picturae nobilissimorum artificum figmenta, sculpturae atque id genus, *manus* nomine quandoque significantur. Hinc manus exactae ebore *sculture d' avorio*, manus exactae aere *sculture di bronzo*.

XV.

p. 165 v. ult. *Cyzicus*) Urbs frigida et inamoena Asiae minoris, intra Propontidem sita angusto terrae spatio.

v. 2. *Dyndima*) Dyndimus mons Urbi Cyzico imminens Templum ab Argivis Deae Cybeli seu *Cybellae* aedificatum habebat.

v. 3. *Raptorisque . . . qua via*) Qua *parte* est via quae tulit equos raptoris Ditis: alii autem *et ubi* est via quae tulit etc. per hanc viam, *circa Propontida*, Proserpinam a Plutone curru avectam contra aliorum sententiam asserit Propertius.

v. 4. *Si . . . .*) Si moveris desiderio mei ita *ut redux in patriam me revisas*, omnes regiones Propontidis, Hellespontus, Mauritania, Colchis, Lydia etc. omnia miracula Medusa, quae et Phorcis est, a Perseo interfecta secto capite, Anteus ab Hercule oppressus, horti Hesperidum non te movebunt ut Romanam terram posthabeas, *ubi Natura posuit quidquid* magni *fuit ubique*. Imo vero non tam fortes quam pii vel locorum praestantia commendamur, grata factorum recordatione et commodis. *At non* impie factis et crudeliter Andromeda monstris

marinis exposita, coena Thyestea, Meleagri fato, Pentheo a Bacchis misere discerpto, Iphigenia morti destinata, Jo Junonis odio in vaccam conversa, Scinis latronis poena in viatores et Thesei in Scirin latronem nos Latini recordatione nostra non exultamus. Igitur alium tibi pete honorem in pulcherrima aede patriae Romanae, ubi cives, spes nepotum et amor venturae conjugis te postulant. Hic Propertii sensus in hac Elegia et haec expositio.

v. 4. *Helles* . . . .) Hellespontus ab Helle Athamantis regis Thebanorum filia dictus.

v. 6. *Athlanta*) Athlas, inventa sphaera, coelum humeris substinere ferebatur.

v. 7. *Persea*) Perseus Medusae caput amputavit.

v. 8. *Geryonae* . . .) Geryonis Hispaniae Regis boves innumeros in Graeciam abegit Hercules.

v. 9. *Herculis* . . . . . .) De pugnis Herculis contra Anthaeum et de hortis Hesperidum plura apud Mithologos.

v. 10. *Phasim*) Phasis Colchidis fluvius maximus.

v. 11. *Peliacaeque*) Naves Argonautarum ex Pelio monte deductae.

v. 12. *Qua* . . . .) Ordo est: *Qua rudis pinus adacta* (*extructa*) *in faciem novae prorae*, duce columba Argoa, *natat inter saxa*.

v. 14. *Quadrigae* . . . . .) Ad Caystrum fluvium quatuor nobilissima urbes extabant, Ephesus, Smirna, Colophon, Miletus, quarum a principe Epheso *Caystri quadriga*. Cayster per septem vias, velut ostia, in mare influit.

v. 22. *Anio*) Anio Tiburnus seu Tiburtinus fluvius hodie Teverone.

v. 23. *Martius*) Aqua Martia.

v. 25. *Lympha*) Fons Juturna, aegris salubris, epota a Cyllaro Pollucis equo.

v. 28. *Itala* . . . .) Mare Italum non furit novis immanibus belluis, quibus olim expositae fuerunt Hesione et Andromeda.

v. 29. *Ausonias* . . . .) Nec in Ausonia tremes dapes illas Thyestis.

167. v. 2. *Subdita cerva*) Supposita loco Iphigeniae immolandae.

v. 6. *Curvatas . . . . trabes*) Arbores magna vi curvatas discerpendis hominibus in contrariam partem. Haec omnia flagitia, scilicet Meleager interfectus, Pentheus laniatus, Iphigenia mactata, latrones grassantes . . . Romae non extant.

XVI.

p. 167. *v.* 25. *Duras . . . . Ephemeridas*) In his servi scribebant rationes cujusvis diei. Vocat *duras*, quia, cum legerentur, servi frequentissime vapulabant, ob rem domini male administratam.

ELEGIA I. EX LIB. IV.

p. 168. *v.* 4. *Navali Phoebo*) Post Actiacam *navalem* ab Augusto de Antonio et Cleopatra relatam victoriam templum fuit dicatum Phoebo, ex genere victoriae *navali* nuncupato, cujus ope se victoriam consecuturum existimabat.

v. 5. *Evandri*) Evander ex Arcadia profugus ea loca tenuit, ubi postea Roma fuit. Hoc versu et sequentibus antiquam Romanorum simplicitatem, ex qua Romana potentia, praedicat.

v. 8. *Nuda . . . . .*) Sine templo et sine aedificiis.

p. 169. *v.* 8. *Pulpita*) Pulpita non olebant crocos, qui spargi solerent in ludis solemnibus.

v. 12. *Curto . . . . . equo*) Pali sacro, et quinto anno immolabatur equus *curtus*, idest aliqua parte mutilum praesertim cauda.

v. 18. *Licens Fabius . . . Lupercus*) Lupercalia festa ea mente fuerunt instituta, ut Lupi arcerentur. Luperci erant Sacerdotes Sacrorum, qui per maximam licentiam obviis quibuscumque infligentes flagella discurrebant; unde *Licens* Lupercus. Dicebatur autem vel *Fabius*, quia Romulus *Fabium* quemdam sacris hisce primum praeposuit.

v. 21. *Lucmo*) Idest Lucumo unus e regibus Tuscorum; *galeritus* autem a quodam pilei genere.

v. 23. *Hinc Tities . . . .*) Tities aut Tatienses a Tatio, Ramnes aut Ramnenses a Romulo, Luce-

res a Lucumone constituebant primum populum Romanum.

v. 24. *Quattuor* . . . . . *equis*) Egit quatuor Romulus triumphos, invectus in urbem albis equis.

v. 25. *Bovillae*) Urbe Bovilla non procul a Roma sita, unde *suburbana*, minor erat Roma.

p. 170. *v.* 3. *Quum pater* . . . .) Quum *Anchyses* pependit in cervice nati *Aeneae*, capto et incenso Ilio.

v. 6. *Animi* . . . . *Deci*) *Deci* pro *Decii*, idest animosi Decii.

v. 16. *Brutique secures*)Quibus filio cervicem amputari jussit.

v. 7. *Vexit* . . . . .) Duce Venere Julus (unde gens Julia et Caesar) in Italiam vectus.

v. *Avernalis* . . . . *Sybilla*) Prope lacum Avernum degens.

v. 11. *Pianda* Remo) Idest sanguine Remi.

v. 12. *Pergameae* . . . . *vatis*) Cassandrae.

v. 16. *Lupa Martia*) A lupa feruntur enutriti Romulus et Remus. Lupi vero Marti erant sacri.

v. 28. Roma *fave*) Romanorum laudes dicturus exitum sibi incipienti felicem ex argumenti magnitudine ominatur. Roma veluti Dea est habita, et ei templa sunt dicata.

p. 171. *v.* 3. *Aversis charisin*) Aversis, iratis *Gratiis*: Graecis *charisin* est dat. *plur. num.* qui latinis vel *abl.* casui respondet.

v. 6. *Aerata* . . . . . *pila*) In sphaera ex aere, instar pilae rotunda, ab Archimede inventa. Astrologum quemdam, a quo poeta fingit de rebus futuris se edoctum, inducit scite loquentem de *Astrologia*.

v. 7. *Horos Babylonius*) *Horos* Archytae Tarentini, philosophi pythagorici, filius dicitur *Babylonius* a professione *astrologiae*, quia Babyloni in ista scientia peritissimi sunt habiti. *Conon* autem insignis item mathematicus.

v. 11. *Nil prius*) Nil potius, nil antiquius fide.

v. 12. *Fallitur auro Juppiter*) Pretio dato Religioni, mathematici ob auri cupiditatem simulant Jovem felicissimum, horoscopo ad arbitrium mutato.

v. 15. *Obliquae signa iterata rotae*) Rota obliqua est Zodiacus; signa iterata, quia sex Zodiaci signa ad Austrum, sex ad Boream vergunt.

v. 18. *Dicam* . . .) Possem praedicere vel excidium Trojae, et Trojae altera fata, Roma condita.

v. 20. *Arria*) Mulier haec Romana duos habuit filios Lupercum et Gallum, quos malis ominibus ad bellum missos mors diversimode intercepit. Hos casus possem et ego praedicere.

v. 29 *Invito*) Quisque vel antea invitus debuit hoc eredere.

v. 30. *Cinarae*) Cujusdam Cinarae parturientis.

p. 172. *v.* 4. *Sibi commissos* . . . *Deos*) Voluntatem Deorum sibi commissam.

v. 6. *Umbra* . . . . *mortua*) Umbra mortui hominis aquis magicis conspersa non indicat.

v. 10. *Calchas*) Ut suis verbis auctoritatem adjungat, Calchantis faustum reditum Graecis pronuntientis falsum vaticinium ostendit.

v. 19. *Oilide* . . . .) Ajax Oilei filius.

v. 20. *Ad tua* . . . . . *astra*) Ad tuum sidus natalitium, o Properti, venio.

v. ult. Pertica) Pertica mensos agros et veteranis adtributos perdidit Propertius, et in paupertatem redactus est.

p. 173 *v.* 11. *Discusseris uncum*) Reorum, ut in carcerem traherentur, gutturi *uncus* impingebatur. Si te subduces jugo coniugii ect.

ELEGIA II.

p. 173. *v.* ult. . . . . *Tuscus ego* . . . . *Vertumnus*) Vertumnus ab anno *verso*, vel a rebus *vertendis*, id est vendendis, emendis, quod *mercaturae* esset deus, fuit rex antiquissimus Etruriae, et postea *deus* habitus ob artem traditam vinearum serendarum. Templum Romae habuit in vico Tusco.

p. 174. *v.* 4. . . . . *Iter faciebat*) Innuit *Tiberim* olim per forum fluxisse, qua parte fuit Velabrum.

v. 10. *Prima mihi*) Deus etiam hortorum fuit Vertumnus; et sibi divitias hortorum debitas significat.

v. 20. *Cois* . . . . .) Vide *v.* 2. Elegiae primae *Lib.* II.

v. 22. *Comprime foeno* . . .) *Foenisecae* vel qui

foenum falce secabant, ad arcendum solis ardorem solebant herbis frontem sibi cingere.

p. 175. v. 2. *Aurigae species* . . . .) *Rhedarii Figura, rhedarius*: ab uno equo in alium velox potest se transferre.

v. 5. *Institor* . . . .) Negotiationis capax.

v. 19. *Lucumedius* . . . .) Lucumon, qui et Lycomedius, ut habent alii, venit in auxilium Romuli contra Tatium. Hunc Romulus beneficii memor vicum *Thuscum* Thuscis in urbe adtribuit.

v. 24 *Turba togata* . . . .) Toga propria Romanorum vestis.

v. 26. *Qui ad vadimonia curris* . . . .) *Currere ad vadimonium* est properare, ne dictum vadimonium deseras, et causa cadas.

v. 29. *Mamuri*, . . .) Fuit is aerarius faber, qui aereum simulacrum Vertumni opere miro et singulari fecit. Unicum Mamuri opus fuit at *uno* non *honore*, sed multiplici excultum.

ELEGIA III.

p. 175. v. 1. *Lycotae*; . . . .) Lycotae coniugi suo scribit Arethusa, hortaturque ut, confecto bello Parthico, domum propere velit redire. Si ex longa absentia hactenus potes esse meus, tibi haec scribo.

p. 176. v. 5. *Si qua littera*) Si epistola litteram aliquam habeat oblitam, manus jam moriens exaravit.

v. 7 *Te modo* . . . .) Tu jam Bactrianos, Seras, Getas, Britannos et Indos vidisti.

v. 10. *Eoo* . . . . *equo*) Indus uritur a Sole, cui equus unus *Eoi* nomine dictus est.

v. 11 *Deductae* . . . .) Puellae nubenti, ad nuptias e domo *deductae*, puellae nubenti pueri solebant *praeferre* facem, fausti ominis causa.

v. 14. *Deo* . . . .) Hymenaeo non deducente ad nuptias.

v. 15 *Vota* . . . .) Mea dona votiva,

v. 16. *Lacerna* . . . .) Vestis ad usum militiae quarta, pro quarto anno, per me tibi texitur.

v. 17. *Carpsit* . . . .) Pereat qui, ramis et stipitibus ex arbore decerptis ut castra vallo muniret, primus militiam sectatus est

v. 18. *Rauca per ossa*) Antiquissimo tempore os-

seis, postea *corneis*, et demum *aeneis* tubis vel tibiis utebantur.

v. 19. *Oeno* . . . .) Oenus funes in Inferno torquens, ab asello arrosas continuo videbat in poenam: dicitur *obliquus* a positu corporis funibus faciendis accommodato.

p. 177. *v.* 5. *Castrensia* . . .) Vestes ad usum castrorum.

v. 10. *Positura.......dei*) Locorum *distantia*, *situs* seu *positio* a *deo docto*, idest sapiente, constituta in tabulis vel mappis geographicis ab Arethusa, ut fingit Propertius visebantur ob desiderium Lycotae.

v. 15. *Felix Hippolyte!*) Felices Amazones, quorum regina fuit Hippolyte, quibus arma liceret tractare!

v. 19. *Pater* . . . . *Africus*) *Africus* ventus, quia Deus. Dii venti dicebantur et hinc vel patres.

v. 25. *Nam mihi quo* ......) Sensus est: *quo omnia tacent mihi, et purpura Africana, Poenis ostris*, per me *fulgeat* illi, *et crystallus aquosa ornet suas manus*, vas crystallinum ad aquam bibendam ornet. Alii vero de capulo ensis crystallino intelligunt.

p. 178. *v.* 2. *Crepat*.....) Herba Sabina ad suffimen loco thuris crepitat.

v. 3. *Noctua*) Omen noctuae canentis et lucernae crepitantis denuntiat mihi tuam mortem quam avertosacrificatia per *popas* sacrificiorum ministros aquis hujus anni.

v. 7. *Ne* . . .) Ne tanti existimes gloriam expugnandi hostis et rapiendi vestes carbasinas hostibus.

ELEGIA IV.

p. 178. *v. ult. Fidaque* . . .) Tatius, quo prius fuerat nemus Tarpejum quoque sepulta fuit Tarpeja vestalis, fontem praecingit vallo acernis ramis constructo et suggesta humo. Hic fons ad Vestae Deae sacra facienda aquam Tarpejae virgini ministravit.

p. 179. *v.* 1. *Tubicen Curetis* . . .) Pro tubicen *Curetum*, idest Sabinorum ab urbe *Curibus*, unde dicti *Quirites*.

v. 2. *Saxa Jovis*) Rupem Tarpejam.

v. 6. *Ex illo fonte*) Ex quo, ut supra, Tarpeja

sacris operatura hausit aquam.

v. 12. *Pictaque* . . .) Et vidit Tatium equo *flavo* assidentem levare, *ventilare*, arma dum proluderet.

v. 15. *Omina Lunae*) Somnia malo omine a Luna per noctem immissa, ut credebant veteres.

v. 17. *Nymphis*) Nympha praesidibus fontia, ne Tatius vulneraretur.

v. 19. *Primo* . . . . . *nubila fumo*) Capitolium oscurum primo fumo adsurgente ad vesperam dum coena appararetur. Alii de caligine matutina intelligunt.

v. 24. *Et formosa*) Huc innuit fortasse Tassus de *Erminia* loquens (C. VI.):

Poi rimirando il campo ella dicea,
O belle agli occhi miei tende Latine, ec.

v. 29. *Meos* . . . . . *amores*) Tatium a me amatum.

v. ult. Scyllam) Scylla Nisi filia Minoa Athenarum regem Megeram aut Alcathoen obsidentem ex muris vidit et adamavit. Ut genio indulgeret amantis, capillum, ex quo urbis fata pendebant, patri dormienti secuit. *Inguina* autem in canes *versa* conveniunt Scyllae Phorcidos.

p. 180. *v.* 2. *Fraterai cornua monstri*) Minotaurum a sorore Ariadne proditum et a Theseo interfectum.

v. 4. *Quantum ego* . . .) Ego sacerdos lecta ad servandum ignem Vestae, in cujus aede Pallas et Palladium colebatur, Scyllam et Ariadnam scelere superro.

v. 13. *Magicae....musae*) Carminis ad incantamenta propitii. Forsitan ad sagam nomine Musam advertit mentem.

v. 15. *Non quem* . . .) Non Romanum.

v. 18. *Sic hospes....*) Sic aut sim apud te tantum *hospes*, aut regina apud te sim admissa, tibi Romam in dotem dabo,

v. 27. *Quarta . . . buccina*) Quarta vigilia noctis, pars noctis ultima et principium diei.

p. 181. *v.* 5 *Dies festus*) Dies natalis urbis Romae, qui fuit 22. Aprilis, Pali sacer. Quae festa *Palilia* seu *Parilia* dicebantur.

v. 17. *Occupat*. . . .) Jugulat canes clamaturos.

v. ult. O vigil) Alii ad Jovem qui servavit Capi-

tolium, alii ad Tarpejam custodem *vigilem* ignia sacri referunt.

ELEGIA V.

p. 182 v. 5. *Phileteis* : . . *Cyreneas*) Philetam et Callimachum intelligit. *Vide notas ad Elegiam I. Lib. III.*

v. 7. *Laneus orbis*) Victae laneae, quibus arae cingebantur.

v. 16. *Athamana*) Athamanes populi Epiri.

v. 19. *Operosa via*) Adeo ibi mare est tranquillum ut nautae non suscipiant ibi plurima vota pro itineris felicitate.

v. 22. *Tenero, . . . Quirino*) Effeminato, molli Antonio. Alii habent Teucro.

p. 183. v. 25. *Centauros*) In Regia Cleopatrae navi pugnam Centaurorum, saxa jacentium, erat depicta.

p. 184. v. 14. *Una decem*) Numero indefinito, poetarum more, intelligendum est una tantum sagitta *decem* ideat plurimas Antonii naves ab Apolline victas.

ELEGIA VI.

p. 185. v. 2. *Marmor*) Ad columnam, vel potius pilam marmoream, qua *miliare* signabatur.

v. 10. *Summa . . . ora*) Summa labra.

v. 13. *Perfide*) Ait Propertio Cynthia.

v. 15. *Nec crepuit . . . .*) Nullus custos firma fistula ad cadaver ejus insonuit, ut pro pulvinis mollibus tegula fracta subjecta sit suo capiti.

p. 186. v. 1. *Cur . . . .*) Incensa pyra, ut cadaver citius cremaretur, venti vocabantur, unguentum in rogum injicebatur, et vino, fracto cado, relliquiae respergebantur.

v. 5 *Lygdamus uratur , . . .*) Lygdamo vernae, a quo insidiis petita erat poenas praescribit, nempe ut candentis ferri lamina exuratur.

v. 7. *Nomas*) Nomen feminae veneficae, quae salivis utebatur ad expiationes.

v. 11. *Et rependit.....*) Si qua me pulchram dixerit, castigat hanc eique inponit *iniquus* aut *injustis* calathis majus opus conficiendum.

v. 13. *Petale* . . .) Tuvela quae ad monumentum meum tulit floreas coronas ad ligneum stipitem, qui *codex* aut *caudex* dicitur, alligabitur.

v. 26. *Gemina* . . . *sedes*) Altera pro sceleslis, altera pro piis.

p. 187. *v.* 15. *Doridos*) Aliqui habent Cloridos. Si herba (idest venena ex herbis confecta) Doridos alterius Propertii amicae.

v. 16. *Latris* . . .) ex graeco verbo Latinis serva.

ELEGIA. VII.

p. 189. *v.* 1. *Paulle*) Ad L. Aemilium Paullum Censorem maritum Cornelia Scriboniae filia, quae nupsit Augusto eique Juliam genuit, ab inferis scribit, ut fingit Propertius.

v. 5. *Adamante*...) Vise mortuorum animas coercent claustris *adamantinis* insuperabilibus.

v. 3. *Janua nigra*) Inferorum ostium nullis lacrymis aut votis patet.

v. 6. *Furvae deus* . . . . *aulae*) Pluto Inferorum rector et noctis arbiter.

v. 7. *Littora surda*) Ripae scilicet Fluminum Inferorum, quae non modo surdescunt, sed etiam omnium rerum oblivionem faciunt, ut Lethe.

v. 10. *Moestae cecinere tubae*) Funeribus divitum adhiberi consuevisse *tubas* significat, quemadmodum in funeribus pauperum tibiae adhibebantur.

v. 16. *Digitis quinque*) In pulverem sum redacta, adeo ut facile una manu possim gestari.

v. 20. *Pater* . . . . . *umbrae*) Pluto qui dicitur *Pater* quia Deus, Dii nimirum vocabantur *Patres* honoris causa.

v. 21. *Æacus urna*) Æacus Jovis filius, judex Inferorum. *Urna* porro designat sortitionem, qua Judicum nomina, atque etiam suffragia in urna versabantur. Sic Horat. Od. 2. Lib. 2.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna . . . .

p. 190. *v.* 3. *Tantaleo*) Pro Tantalo, ut *Ulysseus* pro *Ulysses*.

v. 4. *Cerberus*) *Cerberus* triceps Inferorum custos ac janitor, qui latratu suo manes terret.

v. 9. *Afra Numantinos*) Ob Charthaginem et Numantiam devictas Scipiones sunt dicti Africani et Numantini.

v. 30 *Movisti fuxa*) Claudia Virgo Vestalis ut innocentiam in suspicionem adductam comprobaret, navem sacris omnibus Cibebes onustam, quam multa hominum milla vado Tiberis obhaerentem, trahare non poterant, cingulo suo sola traxit.

p. 191. v. 2. *Scribonia*) Corneliae mater fuit Scribonia quam uxorem duxit Augustus.

v. 5. *In me mutatum*) Fortunis meis defuit plurimum, pudicitiae nihil.

v. 10. *Tu, Lepide, et tu Paulle* . . .) Filios suos Paullum et Lepidum fratres fuisse significat.

v. 12. *Condita sunt* . . . . .) In amplexu filiorum Cornelia clausit oculos.

v. 15. *Vidimus et fratrem*. . .) Fratrem Scipionem Cos. A. U. 738. plerique intelligunt. Sella curulis tribus tantum magistratibus concedebatur, Aedili, Praetori, Consuli.

v. 14. *Consule quo* . . . .) Soror, ipsa Cornelia, soror Consulis. Male nonnulli de Corneliae sarore accipiunt. Quidam vero ita scribunt·

Consule quo facto, tempore rapta soror,

ita ut sensus sit: Fratre consule facto, vixo consulato Fratris, *tempore*, ideat *tempestive*, opportune soror fuit sublata.

p. 192. v. 5. *Sed tamen adversum*) Domum ingrediente novanupta, lectulus ex adverso januae in atrio positus sternebatur, super quo matres familias sedentes lanificiis operam navabant. Sed mortua vel repudiata uxore, si maritus alteri nupsisset, lectulus ipse mutabatur.

v. *Tanti cineres duxerit* . . . . *meos*) Tanti me defuctam aestimaverit, ut caelebs vivere statuat.

v. 11. *Venturam* . . . . *sentire senectam*) Ex hoc etiam tempore assuescite patris obsequio, quem querulum, morosum ac difficilem efficiet *senectus*.

v. 12. *Caelibis ad curas* . . . .) Nulla vix vacet, nulla ratio, nullum officium, nullus officii modus a vobis praetereatur curandi ac fovendi patris vestri *caelibis* ac senis.

v. 16. *Dum pretium vitae......*) *Humus* hic sumitur pro Patria et Civibus vel honore sepulturae; quasi post obitum fama, lausque hominum vel exequiarum pompa, sepulcrorumque decoratio sit defunctis merces et pretium vitae recte et innocenter exactae.

v. 16. *Moribus et coelum patuit*) Bonis et rectis *moribus* ad *coelum* via est aperta; qui namque caste et integre vixerunt, hi in Deorum numerum relati sunt. Cicero 1. Tuscul. *Totum coelum*, inquit, *humano genere completum est; virtus, honor, fides, pudicitia consecratae sunt*.

v. 16. *Honoratis ossa vehantur equis*) *Honoratos* vocat *equos* magno ornatu funebri decoratos, quibus efferri quasi pompa triumphali consueverunt magnatum, seu procerum ac principum funera. Nonnulli vero habent, *honoratis aquis*, illasque volunt *aquas* intelligi, per quas Charon honestarum matronarum fato functarum manes vehit in Elysium.



INDEX

CARMINUM

EX C. VALERIO CATULLO

EX ALBIO TIBULLO

EX LIBRO PRIMO

EX LIBRO II.

EX LIBRO III.

EX LIBRO IV.

EX S. AURELIO PROPERTIO

EX LIBRO I.

EX LIBRO II.

EX LIBRO III.

EX LIBRO IV

FINIS







